

tarii consensus in dando lucrum; ideò habetur consensus ex parte utriusque contrahentis sufficiens ad justum contractum.

2424 Non potest autem lucrum exigere, si mala fide contractum usurarium celebravit; quia licet ignoret alium contractum justum quem potuisset inire, celebrans contractum; quem usurarius sciebat, jam expressè contrahere voluit usurario contractu.

Deusura, agunt Scot. in 4. dist. 15. quæst. 2. lit. N. & R. Maltrius, in Theol. mor. dist. 5. quæst. 2. Joan. la Cruz, pag. 171. Tamb. tom. 2. lib. 2. tr. 1. tom. 1. lib. 8. tr. 3. cap. 8. Busemb. lib. 3. tr. 5. cap. 3. Bonac. tom. 2. à pag. 617. Cardenas dist. 23. Cap. 25. Clericatus cap. 79. Mendo ver. Usura.

CENSUS

2425 **E**st jus percipiendi pensionem aliquam annuam, vel mensuriam ex re alienata, vel fructuaria, super qua fundatur. Qui censum vendit, dicitur *Consignativus*; qui censum emit, & exigitur, dicitur *Conjunctivus*.

2426 **R**eservativus, est quo quis transfert rem suam in alteram, quando dominium directum, & utile, servata sibi pensione annua super eadem re. Ut cum quis dat alteri suum prædium cum onere, ut sibi certam pensionem annuam solvat. Liqueat in Beneficiis Ecclesiasticis, quæ concedi solent annua pensione reservata.

2427 **C**onsignativus, de quo in præsentibus est sermo, & Pontifices loquuntur: *Est quo quis alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis fructiferis immobilibus, aut mobilibus, vel supra persona sua, manente integro dominio tam directo quam utili, apud venditorem.*

2428 **H**inc dividitur in realem, personalem, & mixtum. Realis est, qui fundatur super re fructifera, ut domo, prædio, &c. Personalis est, qui fundatur in ipsa persona, quæ se ad pensionem obligat, non ut persona, sed ut fructifera est, quatenus suo labore & industria est utilis, & potest aliquid requirere, unde pensio duci possit. Mixtus est, qui immediatè super re, & persona fundatur; ita ut, si res percat, maneat obligata persona ad censum solvendum; ad differentiam census realis, in quo, percutere, petit etiam census.

2429 **I**tem census alius est redimibilis, alius irredimibilis, & denique census realis, alius perpetuus, alius temporaneus, & hic alius vitalitius, scilicet durante vita, alius

ad tot determinatos annos, decem, v. g. viginti, &c.

2430 **A**d census jurè naturæ requiruntur mutus contrahentium consensus, & justum pretium, attentis conditione rei, in qua census fundatur, quantitate pensionis, & temporis, ad quod emittitur, & aliis circumstantiis, ex quibus iudicio prudens circumspectus, ad decrecat valor juris ad pensionem: v. n. 2443.

2431 **J**ure autem Canonico, præsertim S. Pii V. in Bullis: *Chem onus Apostolica*, anno 1569. plures conditiones requiruntur, quarum præcipuæ, sine quibus contractus etiam in foro conscientie est irritus, sunt

2432 **P**rima, & principalior, ut census non fundetur, nisi super re immobili, & fructifera: hujusmodi sunt domus, prædia, & civitatis, oppidum, pascua, piscationes, item officia perpetua fructifera, hæc, inquam, habentur pro immobilibus; adeoque super illis potest constitui census. Hinc prohibitus est census personalis, aut supra animalia, quia sunt mobilia; persona namque hominis est mobilis, de quo Job 7. dicitur *Ventus est vita mea*.

2433 **U**t percute sine culpa censuarii re in totum, aut in partem, ita ut non producat fructus sufficientes, nisi ad partem pensionis; census etiam in totum, aut in partem percat. Quod spectat ad naturam contractus census: v. n. 2425.

2434 **U**t non fiat pactum restringens libertatem censuarii ad alienandam rem, nec pactum aliquid solvendi censualitate pro facultate vendendi, quam sibi reservaverint, neque ratione laudemil.

2435 **L**audemium, est certum pretium à novo emphyteuta solvendum in recognitionem domini proprietatis, quod habet dominus directus fundi; solvitur (ab aliis consuetudo adeit) in alienatione voluntaria, v. g. venditione rei ad emphyteutam consecrate ab emphyteuta facta. Pretium laudemil, ex jure est quinquagesima pars rei, & consuetudine solet esse trigesima, aut decima, juxta varias regiones; unde attendi debet consuetudo. Non solvitur in alienatione necessaria, ut quando in re emphyteutica succedit hæres. Quando Patet: alius non habens, cum dat in dotem filiam, quando re emphyteutica redit ad primum emphyteutam, nec quando plures, qui eam habent, inter se dividunt. In alienationem autem census non est solvendum laudemium, Census enim ab emphyteuti differt, quia in emphy-

phyteuti residet apud dominum solum dominium directum, ac proprietatis, & transfertur dominium utile, seu usufructuarium; in censu vero residet apud dominum utrumque dominium, & solum transfertur in censualitatem par juris ad fructus, nempe ad certam pensionem exigendam ex dominio utili ipsius domini, v. n. 379.

2436 **C**ensuarius autem rem vendere volens, monere debet censualitatem, si rem ipse emere velit eodem pretio, quia est præferendus, quo recusante, potest liberè alteri vendere, cum onere ejusdem census solvendi; sed teneatur ex natura census curare, ut venditio fiat personæ, à qua census fit æquè solvendus: nam si census sit in periculo, ne solvatur, sit injuria censualitatis, seu emptori.

2437 **U**t census sit redimibilis ex parte censuarii, irredimibilis ex parte censualitatis. Potest censuarius pensionem redimere eodem reddito pretio capitali, monendo censualitatem ante duos menses; ad censualitatem non potest invito censuario repetere pretium capitale.

De censu utrinque redimibili, an sit licitus in foro conscientie, fusc agit Verrielli tr. 3. à g. 12. ad 14.

2438 **U**t pensiones solvenda, aut decurrere non soluta, non possint poni in fortem, seu pretium capitale; imò ut ex nulla causa temporis, v. g. &c. possit augeri census semel constitutus.

2439 **U**t non fiat pactum, ut censuarius non solvendo censum, teneatur solvere lucrum cessans, expensas, interesse, aut ut res cadat in commissum. Per hoc autem prohibentur pacta, & poenæ, quæ apponi solent in aliis contractibus; ad non prohibetur, quin emptor possit à venditore exigere fidejussiones, & pignora tam pro pensione, quam pro evizione, videlicet pro periculo, quod subit emptor, ne ob aliquid jus alterius evincatur; hoc est, auferatur ab ipso jus ad fructus prædii, quod emerat; nam jure nature quilibet habet jus ad rem suam, quanta potest securitate, tractandam; v. n. 2460.

2440 **C**æterum Nicolaus V. in Conf. incip. *Solicitude Pastoralis*, edita die 30. Septembris 1455. concessit Regno Siciliae, ut in creatione census apponi possint quæcumque pacta; hinc apponitur pactum, ut in casu negatæ solutionis census, vendatur prædium ad discurtum, & inde fit adjudicatio, de qua plura, & fuscè egit, omnino recolenda, in tr. 2. à n. 138.

2441 **Q**uantum ad conditiones à S. Pio V. requisiti in creatione census, Tamb. tom. 2.

lib. 9. tr. 2. de censibus, ait, Bullam S. Pii solum obligare in terris Summi Pontificis; & ubi fuerit fortè promulgata, & recepta; minime in Gallia, Germania, Belgio, & in Regno Siciliae, ubi non fuit promulgata, nec usù recepta. Insuper ejus prohibitionem fundari in præsumptione fraudis, & usuræ, adeoque, si hæc reverà non sint, contractum in foro conscientie esse licitum, si cætera adsint; Judices vero in foro fori judicare debere secundum jus Pontificum.

Unde concludit, censum personale esse licitum, & justum; quia æquivalet censui reali: Nam (ait ille) *conventus hic est emptio fructuum, seu lucri, quod homo sua opera acquirere potest: sicut ergo omnes concedimus, censum realem esse licitum, quia per illum emittitur jus ad percipiendos fructus agri, domus, piscina, &c. ita concedere debemus, esse licitum, emere usum fructus, quos homo sua arte, & opera facere potest.* Hac ratione licite persona venditur, aut locatur, ut liquet de servis, & famulis. Fuscè Verrielli n. 2437. cit.

PROPRIUM JUDICIUM, ET PRAXIS.

2442 **U**t autem census personalis, præture justus, attendi debet in praxi, an persona, à qua emittitur census, sit reverà fructifera, & sufficiens ad sustinenda onera census. Audio namque (si est verum, quod quamplures mulieres mihi reulerunt) Consensarios quosdam indiscriminatim viduis censum personale concedere, & re examinata reperio, eas pecuniam ad censum dare mulierculis patreperibus, quarum labor & industria vix est sufficiens ad miserè sustentandam propriam vitam, quam ad sustinenda onera census.

Contractum census expositum, etiam jure Pontificio secluso, esse jure naturæ injustum, illicitum, & palliatum usuram, clarè ostendo. Census realis fundatus super re immobili non fructifera, aut si fructifera, insufficiente tamen ad sustinenda onera illius census, vel qui reperitur gravata aliis censibus, vel ex alio capite, est injustus, illicitus, & irritus jure naturæ; igitur à fortiori negatæ solutionis census, vendatur prædium ad discurtum, & inde fit adjudicatio, de qua plura, & fuscè egit, omnino recolenda, in tr. 2. à n. 138.

2443 **Q**uantum ad conditiones à S. Pio V. requisiti in creatione census, Tamb. tom. 2.

crum reportare, non ex vi veri census, sed veri mutui; non ex iure alterius ad fructus, quos emerit, sed ex pecunia, quam illi tradiderit, & sic usuram, ficta census facie, palliare. Die quaso, quod jus ad fructus illa emit, ut quo fructus sperat ex sterili? n. 2433.

Enin praxi hodierna usuram ritè à Summis Pontificibus, præsertim à S. Pio V. in censu personali præsumptam, & Pontificie prohibitionis iustitiam.

Non desunt probis Confessariis ex jam recensitis, capita, quibus possunt facillimè vi duas, aliaque honestas mulieres absque usuræ periculo iuvare.

QUANTITAS PENSIONIS IN CENSU

2443 **C**onstituitur attentis circumstantiis: de n. 2430. Solet esse quinque, septem, aut octo pro centum, iuxta varias locorum consuetudines, quæ sunt attendendæ: Nicolaus V. cir. in n. 1446. contulit Regno Sicilia, ut esse possit decem pro centum, seu unius pro decem, et non plus.

2444 Philippus verò II. pro Regno Siciliae refrinxit taxam ad quinque pro centum cum clausula irritante, ut in tom. 2. Pragm. Reg. Sic. tit. 46. prag. 3. de censib. Ordinatio e communiò que di qua innanzi non si possa in detto Regno di Sicilia imponere, costituire, ne fondare di nuovo vendita nessuna di soggezzioni, o censi redimibili, ne ricattare à meno prezzo di ventimila il migliore, che è il beneficio di cinque per cento e che li contratti di rendere, o censi, che à altra maniera si seranno siano nulli, e di nessun valore, & effetto, e non si possa per virtù di quelli dimandare, ne recuperare in giudicio, ne fuora, più che à detta ragione, eripetto.

At in Regno Siciliae observatur plures census fundari, & subjugationes fieri, ac permitti ad septem pro centum: v. tom. 2. n. 149.

2445 In censu temporali potest exigi major quantitas, quam in perpetuo; quia jus perpetuum ad fructus rei, cum pariat majores fructus, quam temporaneum, est majoris pretii & valoris, & idè carius emitur lito.

Maltrius in theol. mor. disp. 5. q. 3. n. 95. Joan. la Cruz, pag. 184. Bonac. tom. 1. pag. 641. Tamb. to. 2. l. 9. tit. 2. Bufemb. l. 3. tit. 5. cap. 3. dub. 9. Clericus cap. 93. Mendo.

CAMBIUM

2446 **E**st commutatio pecunie pro pecunia. Commutatio pecunie rei pro alia re; dicitur *Empio*. Commutatio rei pro alia re; dicitur *Permutatio*. Commutatio vero pecunie pro pecunia, *Cambium*. Qui dat ad cambium, ut lucratur, dicitur *Campfor*. Qui recipit ad cambium, & dat lucrum, *Campforis*.

2447 Cambium est duplex, reale; & *Quo pecunia realiter cum alia pecunia commutatur*. Et siccum, de quo infra. Reale, est duplex, minutum, seu manuale, & locale, seu per litteras.

2448 Cambium minutum est: *Quo pecunia minor pretio cum maiori profertur commutatur, vel à majoribus, ut cum commutatur moneta argentea cum aurea, patria & currens cum extranea & non corrente, nova cum veteri*. Est licitum, si fit reale; imò est necessarium Republicæ; homines enim sæpe indigent commutare pecuniam magnam cum minuta pro usu commodo ad res vulgares ac necessarias emendas: & sæpe indigent commutare minutum cum magna pro maiori facilitate ad eam aliò transportandam, aut recolandam.

Hinc potest ex cambio licite percipi moderatum lucrum, tam à campforio publico ex officio, quam à privato, ob laborem, & obsequium, quod præstant ad cambiendum, ad pecuniam numerandam, ad querendas, & tenendas pecunias diversi generis ad commoditatem communitatis paratas, &c.

Minus tamen exigere debet privatus, quam publicus: quia pro hoc currunt plures alii tituli, præsertim, quia hic est obligatus Republica ad mutuandum, & inde non valet, ut possit suas pecunias ad negotiationem applicare. Uterque debet minus exigere, quam ex cambio locali; quia in minuto non habetur transportatio virtualis pecunie, sed pura commutatio manualis.

2449 Cambium locale, seu per litteras est, quo commutatur pecunia profertur cum absterit; vel est, quo Campfor dat hic pecuniam Campforis, ut eam recipiat alibi cum lucro Campforis. Exemplum utriusque, 1. Petrus indigens pecunia Panormi, eam petit à Campfore Panormi, ut ipse Campfor illam per suos correspondentes recipiat Romæ, ubi Campforius habet, 2. Campforius Panormi existens indigens pecunia Romæ, suam pecuniam consignat Campfori Panormi, ut eam à Campforis

his correspondentibus recipiat Romæ. Utrumque cambium fit ad petitionem, & in gratiam, ac commodum Campforii.

Potest inde à Campfore licite exigi iustum lucrum, iuxta æstimationem experti, & consuetudinem; in qua re magis experti sunt ipsi Campfores. In cambio locali plures habentur iusti tituli pro lucro, nimirum labor, & expensæ in detinendo telonium & famulos ad cambiandum paratos, in conservandis correspondentibus in locis, aut nundinis; asecuratio pecunie Campforii, quæ fit transportari debet, Campforius expensas pateretur, atque pericula; item transportatio virtualis pecunie quo fit per litteras, & correspondentes de uno in alium locum in commodum Campforii petentis.

Campfor autem privatus debet minus lucrum exigere, quam publicus, ob minores titulos. Uterque debet minus recipere, quam in transportatione reali. Denique uterque debet magis, vel minus lucrum reportare, attentæ majori, vel minori distantia locorum. Potest tamen ultra lucrum cambii, plus exigere iuxta valorem materie monetæ, si pecunia Campforis fit majoris valoris intrinseci, quam moneta Campforii; & è converso compenfare tenetur, & remittere equivalentem, si moneta Campforii fit majoris valoris intrinseci.

2450 Quando uterque cambientium reportat ex cambio æquale commodum, si, qui præventur ab altero potest ab illo lucrum cambii recipere: v. Ego ego pecuniam hic Panormi, sed habeo Romæ; tu habes Panormi, sed eger ea Romæ: si tu me prævenias, petendo à me cambium Romam, possum à te pecuniam ad cambium recipere, & lucrum cambii reportare; quia vere subeo onus in tui gratiam pretio æstimabile, & libero se onere, periculis, & expensis transmittendi pecuniam, quod non est minus pretio æstimabile, quam si pecunia non indigerem. Ita fere Bonac. tom. 3. disp. 3. q. 5. an. n. 25. de cambis.

2451 Cambium siccum est, quando fingitur solutio faciendæ alibi, sed revera fit in eodem loco. Exemplum. Campfor dat Campforio Panormi centum aureos à Campforio solvendos Romæ, hunc litteræ Romam, sed vel sunt fictæ, vel non mittuntur, vel si mittuntur, nihil operantur, eo quod Campforius non habet actum ad proxime pecuniam Romæ; totum id fit Campfor; hinc veniente tempore solutio nisi faciendæ, Campforius solvit Campforio Panormi cambium cum lucro: nempe centum, & quinque aureos. Dicitur cambium siccum, hoc est, nullum habens humorem, quatenus caret iusto fructificandæ: sed est mutuum

Examen Ecclesiæ.

palliatum, & usura, quoniam lucrum reportatur ex pecunia præsertim tradita cum pecunia præserti, & dilatione temporis. Idem contingit, si Campfor recipiat ad cambium Panormi pecuniam solvendam Romæ, aut ad nundinas, vulgo *alle fiere*; sed præfixo tempore eam solvit Campforio Panormi; eo quia non habet pecuniam, aut correspondentes Romæ, seu in nundinis.

2452 Cambium per litteras cum recambio, si fit reale, est licitum cum lucro. Habetur, v. gr. fit cambium Panormi Romam, & veræ litteræ Romam mittuntur, ibique suum sortuntur effectum; deinde Romæ sic recambium Panormum, & pariter aliæ veræ litteræ mittuntur, quibus pecunia Panormum recambitur.

Maltrius in theol. mor. disp. 5. q. 3. num. 116. Joan. la Cruz, pag. 192. Bonac. tom. 2. pag. 649. Tamb. tom. 2. lib. 9. tit. 3. Bufemb. lib. 3. tit. 5. c. 3. dub. 10. Clericus c. 93. Mendo.

EMPTIO, ET VENDITIO

2453 **E**st contractus constans reciproco consensu mercis pro pretio, & pretii pro merce. Uterque contractus mercis traditione completur, & utriusque iustitia in æquali valore mercis, & pretii consistit. Unde substantialia venditionis sunt tria, consensus, pretium, & mercx.

Vendi potest omnis res pretio æstimabilis, quæ est sub-venditoris dominio. Hinc res spiritualis supernaturalis vendi non licet; quia non est pretio æstimabilis.

2454 Res vendita, si pereat, aut fiat deterior post traditionem, perit, aut fiat deterior emptori; quia domino perit. Si vero ante traditionem, tunc, si res empta sit determinata in individuo, v. gr. hæc domus, hic modus frumenti, hæc ovis, &c. perit emptori, eique fructus, nisi perierit culpa venditoris, aut nisi altere conventum fuerit. Si autem sit indeterminata in individuo, v. gr. si emas decem oves ex grege, decem modios tritici ex granario, vel si emas sem deteterminatum in corpore, indeterminatum quoad mensuram, v. gr. unum modium tritici ex hac massa; tunc ante traditionem, vel mensurationem, perit venditori: ita est definitum ex iure ad dirimendas lites. Cæterum iure gentium dominium acquiritur, si actum ac habere utriusque contractantis consensus absolutus. Hinc in Ecclesiis, & locis piis, dominium acquiritur ante traditionem.

2455 Si res eadem sit vendita pluribus, est ejus, cui est tradita, si pretium solverit; R si nul-

si nulli sit tradita, debetur ei, qui prius emit; alter vero habet actionem in venditionem.

Emens nomine proprio, sed ex pecunia alterius, tenetur restituere pecuniam, sed facit suam rem emptam, nisi sit emptā ex pecunia Ecclesie, pupilli, aut minoris à tutore, vel curatore, ex pecunia militis, vel nisi sit emptā ab uxore, aut marito, ex pecunia sibi ab altero eorum donata. Ita ex iure, Fenech. hie.

2456 Fructus pendentes venditionis tempore, sive maturi sint, siue non, ad emptorem spectant, nisi aliter conventum fuerit; quia sunt pars rei emptæ.

2457 Res aliena vendi potest, si ignoretur esse alienam. Res furta ab emente bona fide præscribi non potest, nisi spatio extraordinario triginta annorum, Fenech. ex Abb. in cap. Nihil extra, de prescript. v. n. 2339.

2458 Venditor tenetur sub onore peccati mortalis, & restitutionis damni, præmonere de notabili vitio rei emptorem illud ignorantem, v. g. si equus sit furiosus, defectuosus, si domus sit ruinosa, si pannus adulterus, &c. Non tenetur illud manifestare, si vitium est manifestum, nempe si equus est claudus, cæcus: tenetur autem diminutionem pretii iudicio experti.

2459 Pariter sciens emens vili pretio rem pretiosam, ver. gr. gemmam à rustico valoris ignaro, tenetur ad restitutionem gemmæ, aut maioris pretii; quia rusticus non vendit voluntarie, cum valore ignoret: v. n. 2305.

2460 Item venditor tenetur monere emptorem de evizione, si adit periculum: *Evizio est rei proprie ab altero possessa recuperatio: v. n. 2493.*

2461 Pretium rei est duplex, legitimum: *Quod est à lege, vel Principe definitum, & naturale: Quod ex prudenti hominum estimatione constituitur.* Pretium legitimum consistit in indivisibili, naturale vero habet latitudinem; dividitur enim *sumum, medium, & infimum.* Intra latitudinem huius triplicis pretii emens aut vendens, iusto pretio, emit, aut vendit. Hæc latitudo inter tria pretia tuto fieri potest usque ad quinquæ, aut sex pro centum; sed potius attendi debet praxis.

2462 Crescit pretium. 1. ex penuria mercis. 2. ex abundantia pecuniæ. 3. ex multitudine emptorum: hinc licet exieris carius vendere, quia augetur copia emptorum. 4. ex parte expensarum, quæ sunt in comparandis, & conservandis mercibus, & maxime si interveniat lucrum cellas, damnus emergens, aut periculum in commodum emptorum.

2463. E contra decrevit pretium. 1. ex abundantia mercis. 2. ex inopia pecuniæ. 3. ex raritate emptorum. Item crescit, & decrevit pretium ex modo vendendi: hinc sæpe carius res venditur ad minimum, & vilius emitur simul, & in magna quantitate; quia sic emptor facit venditorum ad alias merces emendas expeditum, eumque liberat curis, & periculis in eis servandis, & retinendis.

Item plaris res venditur in officinis, sed vilius emitur à venditore quærente per viços emptores, seu à sponte offerente: nam *merces ultronee visiosem* pro tertia parte per Cajet. usque ad dimidium per alios: quod secundum est nimis laxum.

2464 Ille, cui datum est aliud vendendum determinato pretio, v. g. medio, aut infimo, & vendit supremo, & proficere putat. Fubemb. quod possit retinere excessum; quia sua industria acquisivit. Minime, si sit traditum ad vendendum pretio indeterminato, meliori quo potest; tunc nanque utilitas cedit domino.

Uterius, si mercator vendat famulo, aut alteri persone mediæ ementi pro domino panum, v. g. aut aliam rem minoris pretio contracto, idque faciat in gratiam ipsius famuli factoris &c. ut sic cum ad suam officinam alliciat; potest famulus excessum illum pro se retinere; quia illi est liberaliter à mercatore donatum. Famulus autem has debet observare conditiones. 1. ut mercator revera non illo minori, sed majori pretio sit alius consuetus vendere; alioquin famulo donaret de non suo. 2. ut famulus rem tradat domino pretio consueto. 3. ut fecerit diligentias ordinarias, an sit alius; qui minori pretio sit consuetus alius vendere. Quod si minoris emit ob diligentiam extraordinariam, v. g. quia Panormi Montem regalem perrexit, ubi res vilius valet; tunc pro se retinere potest excessum, Tamb. tom. 1. pag. 258. nu. 19. quia non tenetur ad diligentias extraordinarias.

2465 Peccat mortaliter, qui tempore messis emit frumentum, & vinum, in tam excessiva quantitate, quæ caritatem causet, ut sic carius vendat.

2466 Licitum est rem vendere pretio currente, quamvis venditor sciat pretium mercis esse intra breve tempus minuendum; quia pretium tunc currentis est simpliciter iustum; seclius tamen mendacis, dolo, aut fraude, quibus emptor alliciat.

2467 Quando circa mercem contingunt pretia, nempe legale, & naturale, diversa, non potest exigi legale, si est majus; quia pretium legale est taxatum à Principe in gratiam

em

emptorum, nec excedatur; minime ne secundum prudentum estimationem minuat. Et ita si pretium legale frumento est sex aureorum pro modio, naturale vero quinq; non possunt exigi sex.

2468 Si pretium legale est notabiliter minus, est distinguendum. Si tempore benigno frumentum, v. gr. erat taxatum pretio moderato, v. gr. quinq; aureorum, & postea ex pluvia defleto, aut ex alia causa superveniat magna sterilitas, tunc standum est pretio naturalis prudentes ab expertis imposito; quia Princeps non potest taxare pretium ad purum placitum, sed attentis prudenter circumstantiis relictis, ex quibus tenor pretii crescit, & decrevit; nam pretium debet commensurari mercis, ut sit iustum: unde pretium legis tunc, si non mutetur, incipit esse iniustum, & nullam obligationem pariens in conscientia. Quod si Princeps, sterilitate attenda, & omnibus pensatis, pretium auget, tunc omnino standum est pretio legali, ne in tyrannidem vertatur mercatorum aviditas.

2469 Licite possunt minoris emi pecunia anticipata credita, siue matura, siue immatura, si sint periculosa, litigiosa, dubia, aut difficultis exactionis, & quidem minoris, pro qualitate periculi, dubii, &c. estimatione prudenti. Nec obstat, quod emptori facilis sit crediti recuperatio, ob amicitiam, quam v. gr. habet cum Principe; quia amicitia Principis non debet illi nocere, unde lucrum cedit tuæ industriae.

2470 Difficilis est, si credita sint secura, ac facilissima, & nullus aditit titulus lucris cessantis, damni, & expensarum, &c. Affirmat Tambur. posse licite minoris emi; quia minus valet jus rei, quam res. Eadem ratione subdit, posse ipsum debitorem anticipata pecunia minoris extinguere suum debitum immaturum.

Dico, non licere, sed esse usuram, quia implicite mutatur pecunia minor pro exigenda majori; mutantur decem pro exigendis, v. g. quinquæ futuris pro sola temporis dilacione. Tum quia pecunia numerata non est præstiosior numeranda: v. n. 2392.

2471 Multo magis non licet debitori minoris extinguere sua debita matura; quia tenetur ex iustitia ea statim & complete solvere. Item ipse debitor non potest minoris extinguere debita, ex hoc capite, quod sine difficultate, si ipse est difficultatis causa, & alioquin reportaret lucrum ex culpa, & ex impedimento, quod ipse tenetur tollere.

2472 Denique non potest quis vendere creditum, quod certo scit non esse solvendum,

quia nullus est pretii, & estimationis intrinseca.

2473 Petes: *An rei extraordinarie bonitatis immiseri possit aliquid, ita ut fiat equalitas carius vendi solitis, & vendi pretio taxato?* Non est difficultas de mixtione materiae conaturalis, qualis in frumento est mixtio aliquorum seminum, quæ in area cum frumento nasci solent: ut in aliquibus locis est mixtio aquæ vino, quæ fieri solet, quando vinum fit, & quæ ad vini perfectionem requiritur; sed de mixtione materiae peregrina, quæ fit ex industria.

2474 Absolute affirmant licere Bonac. to. 2. d. 3. contr. quasi. 2. p. 1. & Ardekin cum aliis, afferentes, licitum esse generoso vino aquam, & electo tritico hordeum miscere, & pretio taxato vendi, aut committi, si mixtio fiat cum cautela, sine immocho excessu, sed ita, ut triticum fiat æquale tritico, & vinum vino, quod solet in foro vendi: quod Bonacina limitat de vino, quod venditur ad minutum; minime si in magna quantitate, quia illud brevi consumitur, hoc diu retinetur, adcoque aqua mixtum, fit acetum.

Ratio affirmationis est; quia nullum inde damnus, nec injuria infertur emptori; cum non teneatur illi tradere res majoris perfectionis, quam ab aliis passim vendunt. Et sicut venditor potest mensuram minuere, quando alia ratione non potest iustum pretium ab emptore extorquere; ita pariter in casu: non solum tenetur mercis tradere æquivalentes pretio.

2475 Tambur. tom. 2. lib. 9. tract. 5. mixtionem concedit frumento electo, negat mixtionem aquæ vino generoso; quia in frumento mixtio hordei, lolii, &c. potest discerni, & inde segregari ab emente, & utente. Non sic aqua in vino; quod proinde, licet evadat æqualis roboris vino communi, evadit tamen deterioris virtutis; nam est minus utilis ad plura medicamina, & plures effectus, ad quos homines vino puro uti solent. Adde, hujusmodi miscentes aquam vino rigorose puniri: Concedit autem Tamb. vino generoso posse aliud vinum debile, sed purum, misceri, ut sic fiat æquale communi vino.

2476 Prima opinio affirmativa non est consulenda, quia attendit venditorum cupiditatem, aperit viam ad furtum. Tum quia generositas vini compensatur multitudine emptorum.

2477 Panormi taxari solent quolibet anno 2. Novembris duo pretia legitima; unum in pro vino de vicis Panormi, vulgo dicto *de Padroni*; aliud minus pro vino aliorum locorum, vulgo dicto *de Fachini*; & iuste, quia vinum de vicis Panormi est majoris va-

R. a. loris

loris intrinseci, tam quoad generalitatem, quam quoad sanitatem, ceterisque conditiones. Non sic est vinum, quoad à posterioribus venditoribus vendi solet, quia illud desumunt ex Sala Partheniis, & aliis vicis extra Panormum, vinum longe deterioris conditionis generantibus. Hinc fit, quod licet pretium pro posteriori vino taxatum sit minus, non possunt venditores sine culpa mortali, & onere restitutionis, illud vendere aqua mixtum.

EXPENDUNTUR CASUS
PRACTICI.
CONTRACTUS EMPTIONIS AD
METAM.

2478 **I**n Sicilia frequens est, quod quis à anticipata pecunia, v. gr. mense Januarii frumentum mense Julii consignandum emit, pretio, quo valebit juxta metam suo tempore à publico magistratu communis post collectionem prouidentur hactenus, ea lege, ut qui supplere debuit, suppleat. Hic contractus est licitus, quia est vere emptio. Usurarius est, si tu pecuniam, v. g. massariis dedisses, non titulo emptionis, sed titulo mutui, seu prestiti, cum onere, ut massarius teneatur tempore messis sine solvere in frumento; quia mutuum pecuniæ expolcit, ut solvatur pecunia, & tu obligasti ad frumentum; liquet ex definitione mutui: n. 2375.

Massarius est, qui è suis segetibus fructus, v. g. frumentum, vinum, &c. collecturus expectat.

M A S S A R I U S

2479 **H**ymis tempore indiget pecunia ad colendos agros, ideo anticipato vendit mercis suo tempore colligendas, & eodem tempore consignandas.

Q U E R E S I.

2480 *An mercator in Sicilia licite emere possit à massario frumentum pretio anticipato, & accepto, independentè à meta?*

Resp. posse, si nulla sit fraus, quia est verus contractus emptionis, & venditionis, de cuius substantia non est, quod actu pretium solvatur, & quod actu res consignetur; sed quod emptor sit obligatus determinato tempore solvere, & venditor determinato tempore rem consignare. Nec obstat in Sicilia pragmat. ad oppositum, quia est edita ob presumptionem fraudum, & usurarum; unde non obligat pro foro interno, sed externo. Potest igitur mercator tempore hiemis determinato pretio emere

frumentum colligendum, & consignandum tempore aestatis. Idem dic de aliis fructibus, Diana p. 2. et. 5. ref. 115. Tamb.

2481 **T**riplex pretium excogitari potest. 1. Quod currit tunc, quando fit contractus. 2. Quod currit tunc, quando fiet collectio, & consignatio. 3. Tale, quod ab ipsis contractantibus nunc, quando fit contractus, determinatur, independentè ab eo, quod currit tunc, aut currit tunc.

2482 **P**rimum pretium in casu frumenti, & similibus, non est in mentem revocandum, cum sit in evidens damnum emptoris: tempore namque hiemis, quando fit contractus, frumentum solet carius emi, quam tempore aestatis, quando fit collectio; adeoque non potest praesumi, quod mercator velit à massario frumentum emere carius, quam valet tempore traditionis.

Dixi, in casu frumenti, & similibus; quia in casu rei, quæ est plus valitura tempore traditionis, determinatur pretium, quod currit, quando fit contractus, est usura, quia iustum pretium est illud, quod res valet tempore traditionis, unde si equum valiturum post annum centum & decem, emas centum, quantum valet, quando fit contractus, idem est, ac si nunc des centum, receperis post annum centum & decem ratione temporis, & anticipata solutionis; quod est usura. Si vero adit lucrum cessans, damnum emergens, vel periculum non habendi rem emptam, aut sinceram, &c. tunc utique poterit aliquid proportionatum ultra accipi.

Primum ergo pretium in rebus, quæ plus valent tempore traditionis, est iniustum, nisi adit lucrum cessans, &c. in rebus vero, quæ plus valent tempore contractus, quam traditionis, ut in casu frumenti, & similibus, non est prudenter praesumendum.

2483 **S**ecundum pretium est iustum; quia iustum pretium est illud, quo res valet tempore traditionis.

2484 **T**ertium pretium independentè à lucro cessante, & periculis, est iustum, si determinetur pretium illud, quo frumentum, aut res tempore consignationis probabiliter creditur valitura. Imo quando probabiliter futuri pretii non potest haberi, constituit potest determinatum pretium, non ad meram ementis voluntatem, sed alterius experti arbitrio; tunc namque par est in emente, & vendente periculum, uti ludus fortune.

2485 **P**otest mercator præter contractum licite accipere à massario pignus; quia quilibet habet jus negotiandi circa rem suam majori cautione, qua potest.

Ad.

2486 **A**ugmentum, quod frumentum facere solet in horreo à die collectionis usque ad diem traditionis, in contractu praesumitur, est massarii, postea vero mercatoris; quia dominium actu transfertur per traditionem rei: unde mercator fit frumenti dominus, quando ipsi frumentum traditur, esto meta fiat postea. In Sicilia frumentum praesigi solet consignandum die 15. Augusti, meta vero imponi solet postea mense Octobris post diem D. Francisci; in pluribus vero locis imponi solet post diem 15. Augusti.

Q U E R E S I I.

2487 *An qui massarius non est, possit uti contractu ad metam cum mercatore, vel cum eo, qui mercator non est.*

Resp. qui massarius non est, & licet segete careat, certo tamen sperat frumentum per emptionem, aut alia via habere, licite potest hunc inire contractum, etiam cum eo, qui mercator non est; quia quilibet habet jus vendendi id, quod certo sperat se habiturum, pariter & emendi id, quod prudenter speratur. Ille vero, qui nulla via potest frumentum habere, non potest hunc contractum inire sine peccato, & perjurio, quia simulat vendere, cum revera nil vendat. Nec mercator id sciens potest lucrum metæ accipere, alias committeret usuram ob mutuum palliatum, vel furum: v. n. 2495.

Q U E R E S I I I.

2488 *An licet mense Januarii vendere, & consignare frumentum massarii ad pretium mensis Maii, quo tempore ob distantiam à praesentia messe, maior est frumenti penuria, & inde maius pretium?*

Videntur, quod non, quia iustum pretium est, quod currit, quando res vendita consignatur.

Resp. Licere, si vere frumentum eras conservaturus, & venditurus mense Maii, & in gratiam Massarii id sciens, vendas mense Januarii. Ratio est, quia vere cessat lucrum. 1. Quia illud mercator eras futurum majus: 2. Quia frumentum intra illud tempus crevisset in horreo mercatoris; unde incrementum, deductis expensis, potest peti solvendum. Hinc patet solutio ad rationem in oppositum, quia frumentum mense Januarii venditur, & consignatur, non est purum frumentum mensis Januarii, sed frumentum Januarii conservandum, & vendendum mense Maii, unde Mense Januarii pretio mensis Maii: Si vero non eras conservaturus, usuram committis; quia lucrum reportas ex dilatione temporis.

Examen Ecclesiast.

2489 **E**x variis autem pretiis in variis diebus mensis Maii, non licet mercatori exigere supremum, sed illud, quod currit majori parte mensis Maii, quia illud cessat; nam eo pretio erat probabiliter venditurus, quod communiter currit. Quod si currat pretium legitimum, tunc illud solum exigere potes, quod taxatur, non vulgare. At si tanta sit pretii varietas, ut designari non possit pretium majoris partis mensis, non potes petere supremum, quia non es certus te futurum pretio venditurum; nec debes infimum, quia forte potuisses majorem vendere; debes igitur petere medium, quia sic attenditur ementis, & vendentis ratio.

Potest tamen fieri conventio, & pactum de certo pretio, quod prudenter tunc curret, illud mense Januarii determinando; quia si nulla sit fraus, par est utriusque periculum; unde huiusmodi venditionis & emptionis accedit ratio iusti iudi: ut in n. 2484.

Q U E R E S I V.

2490 *An possit mercator tempore hiemis dare frumentum cum pacto, ut solvatur pretio corrente tempore aestatis, si tunc plus valebit, quam nunc, & si valebit minus solvatur pretio corrente nunc?*

Resp. Esse usurarium contractum, quia non est par utriusque conditio; potest autem absolute vendere pretio corrente tempore hiemis, quando fit traditio, ut constat, praeserta clausula non apposta; nam si mercator potest vendere frumentum tempore hiemis pretio corrente, & solutione actuali, à fortiori solutione dilata, quia dilatio solutionis est in beneficium emptoris.

Q U E R E S V.

2491 *Mercator mense Decembris dat pecuniam massario, cum pacto, ut mense Augusti consignet tantum frumentum varietatem uno auroo minus pretio iusto mense Augusti corrente, usque per metam taxando, An contractus sit licitus?*

Resp. Ille usurarium, & mutuum palliatum, nisi adit lucrum cessans, periculum, aut alius iustus titulus ex recessibus, quia mercator reportat lucrum certum ex pecunia anticipato tradita; tum quia emptio extra limites iusti pretii est iniusta. Licetis est, si fit emptio frumenti consignandi mense Augusti, pretio tunc infimo.

2492 **H**inc usurarius est contractus, quo quis dat pecuniam alteri pro tanto tritico, aut alia re proprio tempore consignanda, quatuor tarenis minus pretio, quod tunc curret, nisi adit aliquis iustus titulus.

R 3

145

lus ex dictis, aut sit intra lineam infimi pretii.

**Q U Æ R E S VI.
AN CONTRACTUS A GODERE,**

2493 *Quo Petrus dat tibi pecuniam, v. gr. centum aureis, tu vero das illi domum, cum pacto, ut quisque fructus datis, donec tu reddas pecuniam; possit licitari per contractum venditionis & pacto retrovenditionis, quatenus videlicet tu vendas domum Petro centum aureis, cum pacto, ut post decem annos Petrus eodem pretio tibi revendat domum?*

Videtur, quod sic, quia in contractu emphyteutico tu potes dare domum Petro, & percipere annuum censum, & tamen Petrus post decem annos tenetur tibi reddere domum; ita & ibi.

Resp. non posse, juxta dicta n. 2389, quia in contractu venditionis transfertur dominium directum; ita ut completa emptione, & venditione, res si pereat, pereat emptori; & in casu pereat Petrus, non sic in contractu a godere; hinc erit venditio palliata, & contractus mohatra.

2494 Non tenet paritas contractus emphyteutici; qui in hoc venditur, seu traditur ad tempus dominium utile, seu usufructus ex re fructifera, nempe ex demo, cujus dominium directum residet penes proprietarium. Tum quia contractus emphyteuticus sit supra rem immobilem, & fructifera; pecunia vero, nec est immobilis, nec fructifera: v. à num. 906. & n. 2389.

Q U Æ R E S VII.

2495 *An contractus inter mulierculas exerceri solitus, quo pecuniam dant (vulgo ad uso di rini di tela, di fargetta, &c.) sit licitus?*

Contractus sic efformatur: Dat mulier una alteri tarenos septem, quod est vnum pretium, quo à mercatoribus vendi solet ultra fargetta; ipsa tamen mulier ulnam unam fargetta, quæ tarenos septem valet, vendit tarenos duodecim, ea lege, ut mulier altera, quæ emere dicitur, venditrici solvat grana duo quilibet die, usque ad extinctionem tarenorum duodecim, & ita per tempus quatuor mensium, quod ad complendam solutionem requiritur, venditrix lucrum reportat tarenorum quinque. Ita similiter de contractu, ad uso di rini.

Resp. esse in se contractum mutui, & usurarium; quia cum revera fargetta illa non extet, contractus est mutui, nempe lucri ex pecunia tradita, ob solam temporis dilatio-

nem, palliatus contractu emptionis, & venditionis.

2496 Dixi, in se, quia si adsit periculum, quatenus, qui pecuniam dedit, tutum pignus non accipit, vel adsit lucri cessans, & tunc quidem potest quid lucri supra tarenos septem, quos dedit, reportare, sed proportionatum lucro cessanti, aut periculo, juxta superius dicta de periculo, & lucro cessante; minime tam excedens, ut ex septem per quatuor menses accipiat quinque, quod in anno esse accipere ex centum datis septuaginta lucri: Excogitari ne potest scelus majus, iniquior ultra? v. n. 2487.

**Q U Æ R E S VIII.
AN CONTRACTUS A PAGARE,
E CONSIGNARE,**

2497 *Sit licitus?*

PRaxis. Mercator mense Januarii vendit emptori centum modos tritici, quos revera habet, consignandos mense Julii, quando emens solvit pretium; tenetur autem mercator frumentum dare, quoties emptor petierit, medio tempore à Januario ad Julium, quo tempore frumentum fiat periculo, & expensis mercatoris; eo vero elapso, potest venditor cogere emptorem, ut frumentum accipiat, & protestari, quod alius deinde interesse, expensæ, & periculum stent penes emptorem.

Pretium autem non est illud, quod currit mense Januarii, nec quod currit mense Julii, sed tribus tarenis, v. g. plus eo, quod currit mense Januarii, quando fit contractus, ita ut si tunc pretium est quinquaginta, pretium taxatur quinquaginta tribus tarenis. Hoc praximmo.

2498 Respondet Diana p. 1. r. 8. ref. 65 esse licitum; quia est verus contractus emptionis & venditionis; & illud plus trium tarenorum accipitur. 1. Pro expensis, labore, & periculo, quæ mercator subit ex eo, quod est obligatus frumentum conservare ad mensem Julii. 2. Quia par est in utroque periculum lucrandi, & perdendi; nam mense Julio pretium potest esse majus, vel minus.

**EMPTIO REI PECUNIA ANTICIPATA,
ET VENDITIO REI AD CREDI-
TUM, SOLUTIONE PECU-
NIE DILATA.**

2499 **D**ico 1. Te non posse minoris justo pretio rem emere, ex hoc præcise, quod pecunia anticipata emis; quia lucrum reportas ex tua pecunia anticipato tempore in totum, aut in partem soluta. Ju-
sum

sum autem pretium est illud, quod res valet tempore traditionis, de quo fusc dictum est num. 2482.

2500 Dico 2. Te non posse carius ultra justum pretium rem, v. g. pannum, &c. vendere, ex hoc præcise, quia ad creditum vendis; quia lucrum reportas non ex pretio panni, sed ex dilutione temporis, quod non est tuum; unde venditio ad creditum carius justo pretio est virtualis mutuatio. Nec potest sic vendentem jutare lucrum cessans. 1. Quia ad creditum vendens plures vendit merces, & plures habet emptores, quam si pecunia numerata venderet. 2. Quia sic se liberat à pluribus periculis, quibus sunt expolitæ merces, si diu invenditæ in officina decumantur; pannus enim est expolitus caries, & quo diu detinetur, eo magis perditur. 3. Quia qui pecunia numerata emit, vult pretio infimo emere; qui vero ad creditum vendit, potest pretio supremo vendere; & ita intra limites justii pretii lucrari; quæ si attente considerentur, compensant venditoris lucrum cessans: ac proinde vendens ad creditum, non potest ex vi lucri cessantis lucrari. Et solum potest quid moderatum supra justum pretium ratione periculi amittendi rem venditam, & pretium, si venditor prudenter tale periculum cognoscit; sæpe namque contingit, ut ementes pannum, aut telam credito, postea aufugiant, aut se abscondant insoluto pretio; quod periculum cellat, si venditor accipiat totum pignus, aut vendat personæ, de cujus fidelitate suspicari non potest.

Sotus in 4. d. 15. quest. 2. à lit. P. Mastrius dist. 4. q. 1. n. 11. Joan. la Crux, pag. 146. Bariac. tom. 2. pag. 592. Bulemb. lib. 3. tract. 5. c. 3. dub. 8. T. amb. tom. 2. lib. 9. tr. 5. tom. 1. lib. 8. tract. 7. cap. 7. r. 5.

CONTRACTUS MOHATRA

2501 **E**st, quo quis emit credito, & pretio supremo merces à mercatore, easque eidem retrovendit pretio infimo, aut viliori. Declaratur exemplo.

2502 Petrus indigens pecunia, petit mutua centum scuta à mercatore, qui respondens se pecuniam non habere, offert suas merces: inde vendit Petro quantitatem panni pretio summo justo, quod supponitur fecutorum centum: Petrus autem, quia indiget non panno, fed pecunia; pannum emittit venditioni ex pondit pretio infimo, quia supponitur nona-gintaquinque, aut nonaginta, quo pretio eundem pannum redimit mercator ipse, qui vendidit, & sicque lucrum reportat fecutorum quinque, aut decem pro centum, An talis contractus sit licitus?

Resp. esse licitum, si vere intendat emere, & vendere, & nullum sit pactum explicitum, nec implicitum retrovenditionis eidem personæ, quæ vendidit; quia tunc contractus est vera emptio, & venditio, quo nullo jure iis prohibetur, Cardena d. 24.

Nec ex hoc, quod idem mercator pannum redimat pretio infimo, inde lucrum reportans, committit usuram. 1. Quia cum non adsit pactum retrovenditionis, mercator emit casualiter, ut unus de populo. 2. Quia si potest, eo maxime, quia si ipse emat, cum liberat à labore querendi emptorem. Nec obstat, si quando vendit, cognovit ex indigentia emptoris, se fore redempturum, dummodo non intercesserit allatum pactum, nec explicitum, nec implicitum, cuiusmodi esset intentio eum obligandi ad retrovendendum; quia tunc non adest intentio lucrandi ex mutuo, Magis timorati solent talem extra dimittere, ut prius extra quarat emptorem; & si non inveniat, redat.

2503 Si vero præcesserit pactum explicitum, aut implicitum retrovenditionis eidem, contractus est usurarius, & mutuum palliatum; quia cum emptio, & venditio sit libera, pactum, seu contractus de retrovendendo eidem, factus ad intelligere fraudem mercatoris, quod circumi illa velit lucrum reportare ex mutuo. Tum quia supposita venditione justo pretio supremo facta, injustum est onus de retrovendendo à mercatore impositum. Hinc merito contractum mohatram cum contractu prævinito de retrovendendo eidem, damnat Innoc. XI. vid. in pag. 5. propositi. 40. ab Innoc. XI. dams. & vocatur vulgo contractus, dello stocco, quatenus fraudulentè circumi puncti cedit corporis subitantiæ, & animæ salutem.

MONOPOLIUM

2504 **E**st, quo unus, vel plures mercatores inter se propria auctoritate conveniunt, ut convenendo merces certæ generis, eas carius dividant, & officendo, ut vix illi mercatoribus possit. Est iniustum, & obligat ad restitutionem damni. Nam hujusmodi Monopolia damnum inferunt aliis mercatoribus, faciendo, ne vendant, & civibus, ut carius emant, ob paucitatem vendi totum.

2505 Licitum autem est Principi ex justa causa concedere uni, aut pluribus, ut ipsi soli carius merces vendant, dummodo necessaria usus humano non desint, nec Ecclesiasticis graventur. Debet autem tunc Princeps retinere pretium expertorum judicio taxare, nec civis plus æquo graventur. Justa causa potest esse,

esse, ut sic illi curam habeant, de abundantia mercedum copia populo necessaria providere, quae aliquando deficere possent. Sine ulla causa non potest id concedere Princeps, absque aliorum injuria.

Maffius in *Theol. mor. disp. 5. qu. 1. num. 23. Tamb. tom. 1. §. 18. et 19. cap. 7. §. 12. Eufem. l. 2. tit. 5. c. 2. dub. 8. n. 9. Clericatus cap. 91. Diana part. 6. tit. 8. ref. 1.*

TERRAGIUM

Est redditus, qui per dominum Terrae, ex eius fructibus, à Massario tempore recollectionis percipitur. Hic contractus in Sicilia practicatur. Regia namque Curia (loquendo de terris, quas administrat nomine Regis) aut Barones (loquendo de terris in feudum, seu in emphyteum concessis, quarum habent dominium indirectum, residente dominio directo penes Regem; quae proinde vocantur terrae feudales, & demaniales) feudum unum in plures partes terrae, puta quatuor, sex, &c. inter Massarios dividunt, cum onere totidem vendendi terragia; ita ut partes illas terrae ferant, & colant, & terragis Regiae Curiae, aut Baroni solvant, quod superest, ad ipsos Massarios pro suis laboribus & sustentatione spectet.

2507. Quantitas terragii solvenda attendi debet, vel ex pacto, vel consuetudine. Nostra consuetudo est, ut solvatur salma una tritici pro una salma terrae per Massarios aestimandae, & mensurandae. Quod si addit pactum, illi standum est; ita tamen, ut Massarii non graventur; unde pactum, ut sit justum, est faciendum de peritorum iudicio, qualitate, seu bonitate terrae, & aliis circumstantiis considerandis attentis.

2508. Terragium exigi debet in fructibus, qui ad victum hominis necessario deservire debent, nimirum in frumento, vino, & leguminibus. Juxta consuetudinem autem, aut conventionem, exigi potest in pecunia, quia est aequivalens, & etiam in hordeo, si in terra seminatum sit hordeum; quia virtualiter spectat ad victum hominis, cum etiam animalia, quae hordeo vescuntur, victui hominis inserviant. *Muta super Constit. Paavium c. 84.*

QUÆRES I.

2509. An debeat domino terragium pro eo anno, quo terra non fuit seminata, sed solum in ea fuerint facta novalia?

Resp. debet, *Muta cit. n. 16. 17. & 18.* Quia alias id cederet in damnum domini, & utilitatem seminantis, qui haberet usum novalium, & insuper anno sequenti terra ei uberius fructificaret.

2510. Novalia vero erunt feminatoris, aut ejus, per quem facta fuerunt, ita ut cui velit, ea vendere possit: dominus tamen habebit in eis pralationem.

2511. Eo autem anno, quo terra non seminatur, nec novalia fiunt, nullum terragium debetur, juxta *n. seq. dicenda.* Neque debetur in casu sterilitatis; quae tamen est regulanda juxta dicta *n. 2382.*

QUÆRES II.

2512. Baro dedit Massario sex salmas terrae, tres feminandas, alias ut eo anno quinque relinqueret, sed quod pro his tribus unum salma terragium solvat, ita quod eo anno quatuor terragias solvat, An quantum terragium sit justum, & licitum?

Resp.pondeo, resolutionem pendere ex peritorum prudenti aestimatione, & judio: si enim ordinarie, & regulariter experitur, quod terra illa, quae vno anno in seminata relinquitur, altero anno (ex quo quæverit) reddat fructus uberes, sufficientes ad compensandos labores, & expensas Massarii, & insuper ad solvendum quantum terragium pro anno quietis; tunc recte justum, & licitum, quia quies illa cedit in utilitatem Massarii. Si secus, est injustum, & iniquum.

QUÆRES III.

2513. Vassallus unius Baronis reperit sub directione alterius Baronis terragia vno pro pretio, An proprius Baro possit licite eum impedire, & obligare ad recipiendas proprias terras: soluto pretio?

Resp.pondeo posse, neque hoc est inducere servitutem Vassalli. Ratio est; quia Barones tenentur Regiae Curiae solvere consuetas contributiones super valore, & fructibus terrarum feudalium, & demanialium, seu super dictis terragiis; ad quas contributiones concurrere tenentur omnes Barones, & Vassalli, necdum jure civili, verum etiam natura; cum inserviant conservationi Regis, & Regni. Data autem ea libertate Vassallis unius Baronis Vassallis accipiendi alterius Baronis terragia minori pretio, relicto proprio Baronis terragii solito, & justo pretio, id cederet in detrimentum, necdum proprii Baronis, sed etiam Reipublicae, & Regis, quia Baro non reperiret Vassallos, qui proprias terras recipere, & inde sine fructibus

bus manerent, & terragia deficerent, atque adeo consuetas contributiones solvere non valeret.

2514. Non potest tamen Baro dare Massario terras supra ejus vires, puta tres, quando vix est habilis ad duas excolendas.

DE VENDITIONE OFFICIORUM SÆCULARIUM.

2515. Officia secularia, quae nullam jurisdictionem habent annexam, sed nudum ministerium, puta scribae, tabellionis, & similia, posse licite vendi, non est dubium; quia nullo jure est vetitum, Baroni in Selecta, *lib. 1. qu. 19.* Adeoque difficultas restringitur ad officia administrationem, seu jurisdictionem habentia.

De his sile agit Baro. *cit. sed clare totam rem restringit P. Tamb. tom. 1. lib. 8. tit. 3. c. 7. §. 3. ut sequitur.*

2516. Non solum Principes supremi, sed etiam quilibet Princeps Regi subditus, Dux, Marchio, &c. imo & Senatores, Civitatum, quae Praetores possunt vendere officia secularia; officia, inquam, quae absolute ipsorum sunt, vel ipsis absolute data. Ita S. Th. *opusc. 21. ad Ducissam Brabantia, Azor. tom. 3. lib. 8. c. 7. qu. 3. Valquez opusc. de benef. c. 2. §. 3. dub. 14. Less. cap. 32. dub. 4. Fagendi de contract. l. 5. c. 23. de Lugo tom. 2. de just. d. 34. sect. 3.* Ratio est; quia quilibet potest vendere id, quod est pretio aestimabile, & suum est. Notanter, secularia, dixi, quae etiam sunt ea, quae Episcopus, si forte sit Marchio, ut talis, id est ut Marchio absolute dare potest; de Ecclesiasticis enim officii hic nihil agimus; pertinent enim ad stationem de Simoniacis.

Sed quia ratione dignoscatur Rex, vel alii officium esse absolute sub suo dominio? Respondeo, duobus signis. Alterum, si absolute de illis disponere solent, hoc est, absque obligatione reddendi rationem alteri superiori de eorum collatione. Alterum, quando immemorabiliter antecessores sine alterius dependentia, seu licentia, soliti sunt illa vendere. Confirmatur; nam quando Rex hae officia sine donat, quos scit per se non esse obturos, ut faminis, vel viris nobilibus suae aulae, probabile est, ex Azor. *loc. cit.* Regem tacite facultatem concedere illa vendendi, seu cum pensione in alios transferendi; ergo eodem modo, quando Rex, vel Respublica absolute concedit Senatoribus, vel Gubernatoribus, ea officia tradenda aliis, tacite licentiam concedit illa vendendi. Videant tamen apud Dianam;

p. 6. tit. 6. ref. 3. Proreges, alique, an ipsi esse praese à Rege vel supremo Principe fit vetitum; tunc enim nulla farbit vel consuetudo, vel alias collata licentia.

Duo tamen scopuli sunt omnino cavendi. Prior, ne immoderato pretio vendatur; sed prudenti consilio, juxta emolumentum officii; secus praeter injuriam, immoderati pretii, daretur etiam anxia Officiali electo exigendi à populo plus justo. Posterior, ne indignis conferantur officia. Si enim non idoneus Officialis à te creatus damnum faciat, sive particularibus, sive Communitati, per sententias injustas, per atrociana, &c. tu obligaberis ad restitutum; nem: & quidem non nego, illum, qui immediate damnum intulit, esse prius obligatum; sed certe in ejus defectum tu obligacionem non effugas. Imo quando ipse electus bona fide erexit se esse idoneum, & sine gravi culpa, utpote ignoranter, injustas sententias protulit, vel quod simile, tu elector omnino restituere debebis: sic de Lugo *tom. 2. disp. 34. sect. 4. n. 49.* quia ipse non peccavit culpa Theologica, peccasti tu dum sciens, vel scire debens, indignum Officialem elegeris.

VENDITIO ELECTIONIS AD OFFICIUM, VEL AD LEGATUM.

2517. Illam difficultatem pertinentem ad justitiam distributivam huc reducimus, An scilicet Senatoribus, vel cuiuscunque, qui cum non sit domini alicujus officiorum, vel legati, vel pecuniae, frumenti, panis, &c. curam tamen habent ea distribuendi ad suam electionem, an inquam integrum his sit, aliquid accipere ab illis, qui eliguntur, eo praetextu, quod cum Senator potuisset alium eligere, tamen hunc elegit: cum enim hae electio fit pretio fructibus, posse illum competentis pretio vendendi, aliquis existimabit.

Respondeo, esse diligenter distinguendum: vel enim fermo est de pecunia similibusque rebus temporalibus, quae sint distributivae ex voluntate Testatorum, Fundatorum, Praedecessorum, &c. vel de officiis, quae à Republ. vel Senatoribus debentur Civibus determinatae conditionis conferti, & in utroque casu distributorum, ut dictum est, nullum vis habet, nisi eligendi, non autem fit dominus, sive officii, sive pecuniae distributivae. De singulari separatim; nam quia Sanchez. *l. c. conf. c. 1. dub. 56.* (vide etiam *ibid. d. 38. n. praefat. 17. & 18.*) ea non dividit, animos legentium non sed ea non docet.

7. Affero primo: Quando distribuenda est à te pecunia, vel quid æquivalens, non potes accipere quidpiam propter electionem unius potius, quam alterius; si accipias, peccas, & accepta restituere teneris. Ita de Lugo *ibid. dub. 56.* Ratio convincens est; quia sic te ipsa non dares totam summam distribuendam. Si enim testator iussit, ut puella v. g. nubili darentur à te centum aurei; tu vero velles decem exigere ab illa, quia eam elegisti, iam non centum dares, sed nonaginta. Neque dicas, eam libere dare; ne id dicas inquam; nam satis involuntarie eam dare præsumendum est. Certe ita regulariter contingit, ut pactum præcedat, ut iuse alibi. At vero si post acceptos numeratosque integros aureos, nullo precedente pacto, sine ulla metu, aliquid ex grato animo vere, & libere tibi dare illa vellet, non repugno; sed quæso te, id quando erit?

Affero secundo: Quando distribuendum est officium, non potes licite hunc potius eligere, quam illum; quia ab hoc accepisti pretium; verum si proportionatum pretium accipias, ad restitutionem non teneris. Ita de Lugo *tom. 2. de iust. a. 34. sect. 3. n. 37. d. o. n. 37.* insinuat Less. *lib. 2. cap. 14. disp. 9. n. 64.* Ratio est; quia quamvis tu obligaris dare officium alicui, veluti in genere, non tamen obligaris dare huic homini particulari; cum ergo hæc electio sit sub tuo dominio, & sit pretio æstimabilis, illam moderato pretio vendens, non facis contra iustitiam, & ut suppono, neque Reip. damnum inferis, quia idoneum eligis.

Dices: Hæc ratio etiam probat, id non esse illicitum. Respondo, falsum tunc esse mortali illicitum, quando adesse lex sub mortali obligans, ne electio fieret, nisi gratis; vel quando data esset tibi electio ea lege, ut gratis, ac sine pretio exhiberes. Sed neque in hoc casu obligaris ad restitutionem accepti (supponimus autem à lege non invalidari donationem, sed solum prohiberi) quia non peccas contra iustitiam commutativam, sed vel contra obedientiam, vel similem aliam virtutem. In eodem tamen casu, quo peccas mortaliter, adverto, si facta à te electio, pecuniæque recepta, adhuc esset res integra, ut restitui ab electione, & collatione officii posset, te obligari sub mortali ad rescindendam electionem, pecuniæque reddendam, & ad gratis de novo eligendum, ne scilicet peccatum mortale continuares: nam si irreversibilis est electio, ad nullam restitutionem teneris;

quia tunc eiusmodi restituitio, nec peccatum; nam commissum, nec electionem irrevocabiliter iam factam impedire posset. Urges: Adfunt leges prohibentes, quas ponit per extensum Sanchez *lib. 2. conf. cap. 1. dub. 56.* Cur ergo dictum est (quando adfuerit lex)? Respondeo, quia (ut recte moner de Lugo *ro. 2. de iust. disp. 34. sect. 3. n. 35.*) hæc leges solum loquuntur de electione quoad distribuendam pecuniam, vel quid æquivalens, non vero quoad distribuenda prædicta officia.

Anno superiore delegati sunt à Prorege per hoc Regnum nonnulli viri nobiles, qui censerent, seu describerent numerum animarum, seu capitum Regni, eorumque divitias; concessaque iidem est facultas adfuerit sibi aliquot ministris, quibus solvens aureus, vel quid simile pro quolibet die. Quidam ex his nobilibus, & quosdamque ei concedebatur hunc ministrum partem eligere posse, quam illum, & quærit à me, an ipsi liceret exigere pecuniam ab eligendo, itaut dimidium aureum pro singulis diebus ipse sumeret, & dimidium ministri?

Respondi, nequaquam licere, sub præca restitutionis. Rationem duxi ex hæcenus allata doctrina; nam eiusmodi electio ad officium, seu ministerium relatum ad illam determinatam pecuniam à Prorege ratam non est concessa absolute viro illi nobili, sed sub ea conditione, ut minister lucraretur integrum aureum: quare hæc electio reducit ad priorem illam distributionem pecuniæ integre dandam electis, dicitur n. 7. Atque advertit, eodem peccato contra iustitiam peccatorum eundem nobilium virum, si ab initio acciperet aliquid pretium pro eiusmodi electione; nam tunc revera tota merces illi ministris iuste à Prorege attribuita, nequaquam daretur; partem enim eius sibi vir ille nobilis iam antequam seponeret.

TESTAMENTUM

2518 **E** Seniore voluntatis iusta potentia de eo, quod de bonis suis quis vult fieri post mortem suam cum institutione heredum. Est duplex, Scriptum, quod fit scripto cum obligatione testium, & Nuncupativum, quod fit sine scriptura coram testibus. Ad scriptum requiruntur ex iure septem testes, quosvis liberi, masculi, puberes, ratione pollentes, non infames, non pauperes, nec infideles. In testamento militis, aut ad præca casus, sufficiunt duo.

duo. In testamento ruri factio sufficiunt pauciores, si plures haberi non possunt.

Factum sine solemnitatibus juris valet, & obligat in foro conscientie.

2519 Testamentum potest semper usque ad mortem revocari. Si fit iuratum, potest velim revocari, sed illicite; valide, quia testator usque ad mortem est dominus suorum bonorum; illicite, ob irreverentiam iuramentum, quod proinde est adimplendum, quando potest sine peccato servari. Huc faciunt casus adducti de voto *num. 1892.* & de donationis revocatione.

Imo testamentum patris irritatur, superveniente filio posthumo, quem pater non instituerat heredem. Item non solum irritatur agnatio naturalis, videlicet civitate posthumi, sed etiam agnatio civilis, videlicet si quis post conditum testamentum adoptet alium in filium, aut filiam, Bonac. *rom. 2. de contr. disp. 3. q. 17. punct. 5.* ex pluribus iuribus.

Testamentum autem, in quo fuit prætermisus legitimus hæres, non irritatur quoad omnia, sed solum quoad institutionem, adeoque legata, substitutiones, & fideicommissa servari debent ab eo, qui succedit, Bonac. *cit. ex pluribus iuribus:* Quia utile per inutile non vitiatur. Si autem testamentum rumpitur, quia prætermisus filius posthumus ignoranter, controversia est apud Doctores.

2520 Testari possunt omnes puberes, usum rationis, & liberam bonorum administrationem habentes, nisi à lege prohibeantur. Religiosi, & servi testari non possunt; quia quidquid Monachus acquirat, Monasterio acquirat, & servus domino; nec damnati ad mortem, ex iure, nec uxores, nisi ad præca causas, nec filiusfamilias de bonis adventitii sine patris consensu, nisi si electus etiam prima consensu. Potest testari ad præca causas de peccato castrensium, aut quasi. Nec cæcus sine testibus; nec pupillus, nisi sit doli capax, & iuramentum firmaverit; nec in bello iusto captus; nec obsecratus vel infideles: v. n. 2601.

2521 Institui possunt heredem tam per se privatæ, quam communitatis, si sint hæreditatis capaces.

2522 Testator non prohibetur, omissis consanguineis collateralibus, constituere heredem quemvis extraneum. Et quamvis spurius iure civili à testamento excludatur, potest iure canonico potest illi alimenta velinquere, & filiam indigentem dotare: v. n. 2527.

2523 Hæc conditio testamenti apposta, si filia non nupsit, in ea que nunquam nupsit: Item, si non intrabit Religiosem, habetur pro non apposta.

2524 In dubio testamenti iudicandum est testatorem id voluisse, quod si adfuerit, dicitur crederetur, Arsedekin.

2525 Recta ratio, & æquitas dicitur, ut pater, & mater id, quod superest extra legitimam, detrahatis rationabilibus legatis, & remunerationibus, æqualiter inter filios dividat, aut proportionaliter, videlicet plus uni si iusta ratio exposcit, in quantum ver. grunus est magis habilis ad lucrandum, aut est applicatus muneris, puta studii, & inde plus egreat.

2526 Cæterum non peccat mortaliter, si ex speciali amore, de eo, quod superest, plus uni filio, quam alteri relinquat, nisi faciat ex odio, Diana *p. r. 8. ref. 83.* ubi addit, quod si in morte odium deposuerit, & illius penitentia, sit absolvendus, licet testamentum revocare non velit; quia solum contra charitatem peccavit, minime contra iustitiam commutativam; quia parentes tenentur filios ex iustitia ad solam legitimam: ita ut totum id, quod superest extra legitimam, possint de rigore iustitiæ relinquere extraneo. Hic autem est sermo de bonis liberis, minime de viaculatis, de quibus n. 2092.

2527 Qui non habet filios, nec nepotes de linea recta, qui succedant in stirpe, sed consanguineos collaterales, videlicet fratres, forores, consobrinos, nepotes ex illis, &c. potest de rigore iustitiæ omnia sua relinquere extraneo, eumque instituire heredem; nec peccat mortaliter, secluso scandalo; gravi aut extrema eorum necessitate. Et in casu necessitatis potest eorum sublevare necessitatem, & cætera extraneo relinquere, Diana *cit. ref. 85. & p. 5. r. 3. ref. 114.* Bonac. *de contr. disp. 3. q. ult. punct. 3. num. 13.* Sà, Silvester, & alii plures apud Dianam, contra Homobonum; quia nullum jus ad illud obligat, nec naturale, nec divinum, nec humanum: vid. *num. 2056.*

2528 Non obstat lex Cæsarea præcipiens consanguineo ab intestato mortuæ succedere proximorem in sanguine; nam id præcipit, non quia ita exigat jus naturale, sed fundata in presumptione rationabili, quatenus lex præsumit voluntatem defuncti hanc fuisse, Beja *p. 1. casu 57.* solum nare filii sunt hæredes necessarii, qui iure naturali succedunt quantum ad legitimam parentibus testantibus; quoad omnia autem bona ab intestato decedentibus.

2529 Hæc dicta procedunt de rigore iustitiæ. Ratione tamen æquitatis, & charitatis, æquum est, ut consanguineis collateralibus ali-

aliquam portionem distribuatur, ut sic vitetur iurgia, lites, invidia, maledictiones, & similia mala, quae inde solent oriri.

2530 Imo Joan. Valerius in *different. utriusque voti*, addit, cessare etiam aequitatis rationem, sua bona relinquenda Hospitali, aut Monasterio pauperi, si consanguinei sint pauperes, at non extreme indigentes, & Hospitali, aut Monasterium fit magis pauper. Secus si Monasterium fit dives.

2531 Denique pater, si sine iusta causa, dum vivit, bona vendat, aut alio modo alienet cum praedictio legitima filiorum, non peccat contra iustitiam, sed charitatem, Diana *cit. resol. 84.* quia filii non habent jus in hereditate patris, patre vivente: v. *num. 2369. C. 2522.*

2532 Executor testamenti est ille, cui a testatore forte dubitate de fidelitate heredis, committitur facultas exequendi ab ipso disposita. Excedere debet annum 17. etatis. Potest esse unus, vel plures, mas, vel femina, etiam Religiosus de sui Praelati licentia. Est prohibum Franciscanis de Observantia, & Capucinis ex iure; eorum autem astra essent valida, sed illicita.

2533 Potest autem testator eis committere electionem executorum, & facultatem consulendi executores, ita ut ab ipsis executores consilium petere teneantur, Rodriguez, *tom. 3. qu. 70. art. 2.*

2534 Executores pecuniam ad distribuendum pauperibus acceptam applicare possunt sibi, suis consanguineis, aut amicis, si egestate laborent, vel suo Monasterio pauperi, si est Religiosus; quia per onus assumptum non evadit deterioris conditionis.

2535 Non debetur illis salarium, quia est officium voluntarium pietatis, & amicitiae, nisi inde impedirentur à propriis negotiis, & sic aliquod lucrum cessaret, aut damnum emergeret, vel nisi non sint simplices executores, sed etiam administratores bonorum; tunc namque in utroque casu debetur illis salarium assignando à iudice, nisi aliter quod singulari annis fuerit illis a Testatore relatum.

2536 Haeres tenetur solvere vota realia defuncti, non ex vi voti, sed iustitiae; similiter & vota mixta, ex ea parte, qua sunt realia, & separabilia à parte, qua sunt personalia, hoc ordine, ut concurrentibus aliis defuncti debitis, solvere debeat. 1. Es alienum defuncti. 2. Expensas funeris. 3. Integram legitimam sive ascendentibus, sive descendentibus debeat. 4. Vota, & tandem legata pia; quia prior fuit obligatio voti, quae voventem ad-

stringebat, quam legatum, quod nunc haeres debet obligari.

2537 Hinc haeres adveniens hereditatem, medium commoda, sed etiam onera realia defuncti in se transfert, cum duplici tamen beneficio. 1. Ut non obligetur supra vires hereditatis. 2. Si sit haeres voluntarius, seu non necessarius, cui legitima portio non debetur, ut deducit expensis funeris, & solutis debitis, quartam partem hereditatis, sive fit unus, sive plures, obtineat, quae dicitur: *Quarta fideiacta*. Quod si eam non obtineat, ex legatis, non tamen piis, detrahere potest iure legis Fideiactae.

2538 Haeres vero necessarius, cui debetur hereditas, ab intestato, potest suam partem legitimam ex bonis testatoris absolute detrahere, & tunc non sufficiant ad solvenda legata, quia haeres necessarius sua legitima privati non potest: v. *n. 2051.*

2539 Haeres si deicommissarius, ut post centum tempus restituat hereditatem alteri per leges non impeditur, potest, quando ipse, aut eius haeres hereditatem restituit, sibi retinere quartam partem, quae dicitur *Trebellianica*; & computari in ipsam quartam partem fructus percipere, nisi illi haeres deicommissarius sui haeres ex descendentibus legitimis, quia tunc praesertim testatorum, ultra dictam quartam, voluisse illi fructus illi applicare. Ita Joan. de la Cruz, v. *n. 1603.*

2540 Si bona defuncti non sufficiant ad omnia vota, aut legata pia solvenda, sunt diminuenda, sed solvenda omnibus pro rata, quia tunc par est omnium ratio, & ius ad solutionem, Vidal. *de legatis inquisit. 1. n. 24.*

2541 Concurrentibus legatis non piis, & piis, etiam pro celebratione Missarum, omnia esse pro rata diminuenda, & solvenda, si haeres ad omnia non sufficiat, tenent Donatus *tom. 4. in 7. qu. 105. Versicelli p. 8. in fine. qu. 63.* at rectius de legatis piis, praesertim pro Missa negat Diana *p. 7. tit. 10. resol. 14.* quia tunc praesertim, testatorem velle saltem propriam animam omnibus aliis praeserre.

LEGATUM

2542 **E**st donatio à testatore relicta, & ab haerede praesumenda. Differt à simplici donatione, quia legatum est donatio facta causa mortis. Aliud dicitur profanum, quia ad profanos usus. Aliud piium, quia ordinatum ad pios usus, & animae suffragium, v. gr. ad maritandas puellas, ad elemosynam, Missas, &c.

2543 Culpa haereditis in non restituendo debita defuncti existentis in Purgatorio, non

nocet animae defuncti, quae non debet pati ex culpa alterius. At negligentia haereditis in satisfaciendis legatis piis graviter nocet, in quantum privat animam suffragiis, & satisfactio nibus, quibus poena Purgatorii abbreviatur.

2544 Haeres legatum pro anima relictum tenetur sub mortali vivere, non solum per decem annos, sed per totum tempus à testatore praescriptum; quia tempus, quo anima in Purgatorio detinetur, est nobis omnino occultum, & soli Divinae Justitiae, immo & Clementiae reservatum; adeoque non potest à nobis sine temeritate praescribi. Hinc ex una parte rejicienda est opinio Soti, quod anima non detineatur in Purgatorio, plusquam per decem annos. Ex alia dictum illud: *Quod pro uno peccato venialis sit in Purgatorio luenda poena unius anni*, & pro uno mortali septem annorum, est vulgi, & mulierum; quia nulla auctoritate Scripturae, Concilii, Traditionis, aut Patrum munitum, ut observat Bellarm. *vid. in pag. 3. prop. 43. ob Alex. VII. dam.*

2545 Legatarius, si post iudicis monitionem fuerit per annum negligens in adimplendo aliquid onus est à testatore relictum, privatur legato, & illud applicatur pro anima defuncti, Mendo *ver. legatum, n. 6.* Item legato privatur post iudicis sententiam, si leganti iam mortuo fuerit injuriosus, cum graviter infamando, aut cum illius vidua uxore rem habens: v. *n. 2571.*

2546 Si legatarius sciens, & potens, legatum per triginta annos non petat, haeres legantis contra rem legatam praescribit in poenam negligentiae illius. Legatario autem mortuo, aut non comparente, quia nescivit, aut non valuit, legatum est solvendo ejus haeredi, Mendo *cit. n. 6. 7.*

2547 Notarii autem tenentur sub mortali intra tres menses legata, maxime pia, legatarius manifestare, etiam nullo requirente, & eis ignorantibus, Vidal. *de legatis inquisit. 1. num. 64.*

2548 Si legato sit apposita conditio impossibilis, aut contra bonos mores, valet legatum, absque eo, quod conditio impleretur; quia talis conditio ex iure habetur pro non appo sita, Mendo *cit.*

2549 Legatum annuum relictum uxori, donec ea sit vidua, amittitur post nuptiarum publicationem, minime per occultam, aut per occultam, Mendo *cit. n. 14.*

2550 In legato de alimentis alicui, veniunt cibis, potus, vestes, lectus, habitatio, & ea, sine quibus vivere non potest; minime reliqua. Item si legentur centum modii tritici, qui ex tali agro eo anno colliguntur, hi solam debentur. Ita Mendo *cit. n. 18. 22.*

2551 Quando in testamento legantur centum Petro, & alia centum pauperibus, licet Petrus sit tunc pauper, non possunt haec centum ei dari; quia clausula generalis non refertur ad specificata. Limita, si relicta sunt centum Petro veluti amico, aut affini, qui tempore testamenti erat dives, & tempore mortis testatoris reddidit ei pauper; tunc aliquid poterit ei concedi ex secundis centum, nam non fuit specificatus ut pauper. Praeterea si testator vivens donavit, & gr. Hospitali proprietatem bonorum, reservans sibi usufructum, & ex hoc legit quantitatem piis operibus, poterit ex his aliquid applicari eidem Hospitali; quia haec non sunt prolata in eadem dispositione, in qua locum habet dictum axioma: *Clausula generalis non refertur ad specificata*, Mendo *n. 8. v. n. 2517.*

REGULE IN LEGATIS SERVANDAE

2552 **S**unt plures. 1. Quod legata sint juxta consuetudinem loci intelligenda, L. Minus, ff. de leg. 3. 2. In legato ad pius causas facilis est extensio, & larga interpretatio, Bartol. in l. Titius, §. Seia, ff. de auro, & argento legato, Abbas in cap. iudicium de testam. 3. In dubio est favendum piis causis, l. sunt personae, ff. de Relig. & sumpt. 4. In obituus implendum est, quod est verisimile, ex Regulis juris in 6. §. Pro expreso haberi debet, quod testator disposuisset, si interrogatus fuisset, L. Titius, §. Lucius, ff. de liberis, Vidal. *de legatis inquisit. 2. v. n. 2524.*

6. Legato principali censetur legato accessorium; hinc legata domo, velite, & censetur legatum vridarium annexum, &c. ornamentum vestis. Quod si accessorium non extat, adhuc debetur principale; quia ornamenta non ponuntur taxative, sed accessorie; secus, si ponuntur taxative. Accessorie ponuntur, si dicitur: *Relinquo Petro lectum cum suis ornamentis*, aut non exprimentis ornamenta. Taxative, si dicitur: *Relinquo Petro lectum, qui talia ornamenta habet*. Tunc non debentur lectum, si ornamenta non extant, tenet Anton. à Spirit. Sancti de testam. tract. 10. disp. 15. sect. 3. num. 146.

EX HIS RESOLVES.

2553. **L**egatum relictum pro maritandis virginibus, potest ab executore applicari pro maritandis virginibus in conservatorio ad detentis, Vidal. *cit. n. 4.*

2554. Legatum relictum pauperibus in genere, debet precipue distribui confanguineis testatoris, si constituantur sub talibus circumstantiis, ut non possint secundum suum statum, & conditionem commode, & honeste vivere, Vidal. *cit. num. 126.* Quia hi dicuntur pauperes, Baldus in *leg. si quid ad declinandum colom. 1. Cod. de Episcop. & Cleric.* Cui accedit voluntas Testatoris rationabiliter presumpta, ex regula 5. de n. 2555.

2555. Imo ipse executor, cui est instructum onus elemosynam pauperibus dispensandi, si est pauper, potest partem equam & rationabilem sibi applicare, D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 9. ad 3. Vidal. *n. 27.* Quia licet ut executor sit minister ad dispensandum, ut pauper habet jus ad elemosynam cum reliquis pauperibus.

2556. Legatum relictum pauperibus in genere, aut Monasterio, distribui debet pauperibus & Monasterio loci, ubi testator domicilium habebat, nisi aliud expresse sit, aut de eius mente colligatur, Vidal. *cit. n. 54.* Quia major affectus testatoris presumitur ad pauperes loci, Cui accedit praxis.

Si in loco sint plura Monasteria, conferendum est pauperiori. Nisi testator committat heredi potestatem eligendi pauperes, aut Monasterium; tunc namque non tenetur eligere pauperiores, nec Monasterium, an pauperes loci, Ant. à Spir. S. de testamentis. *tr. 10. dist. 16. sect. 13. num. 341.*

2557. Legatum pro virginibus maritandis potest dari virgini illi, quae habet dotem, sed non sufficientem, aut commode maritari possit; dummodo reliquis conditiones habeat in testamento expressas, Vidal. *cit. num. 10.* Diana *part. 4. tract. 4. ref. 140.* Quia Orphanas dicitur puella habens patrem inutilem; desumitur ex cap. inter cetera, de translat. Episc. ubi Glossa *vers. inutilem*, inquit, inutilem mortuum reputari. Unde Ecclesia vidua dicitur, quae inutilem habet Episcopum. Tum quia idem militat Testatoris motivum, qui reliquit legatum Orphanis, in quantum nullum auxilium à suis parentibus habere possunt. Hic accedit praxis, Idem potest confer-

ri expostis, Mendo *num. 20.* quia cum parente ignorant, æque sunt, ac si non haberent.

2559. Eadem ratione legatum pro viduis pauperibus dari potest mulieri habenti virum inutilem, Vidal. & Diana *cit.*

2560. Legatum pro puellis pauperibus potest dari viduis pauperibus, tenet Vidal. *cit. num. 32.* dicens, in utile decernit per S. C. Neapolitanum, & citat Dianam *tr. 3. in 6. ref. 29.*

2561. Legatum pro dotanda paupere potest dari pauperi nuptæ absque dote, tenet Mendo *vid. legatum n. 10.* quia idem motivum legantis reperitur.

2562. Legatum pro maritanda virgine conferri potest puella clam corruptæ, Vidal. *cit. num. 28.* & Com. quia nomine virginis venit quæ publice, & in fora externo reputatur virgo.

2563. Legatum relictum generaliter pro maritandis virginibus debetur eisdem, si moniales sicut, Clericatus *e. 102. n. 4.* Barb. de Off. & Prestat. Episc. alleg. 83. num. 17. contra Fragolum *p. 3. l. 5. d. 8. §. 11. n. 332.* & Lugo *d. 24. n. 294.* apud Ant. à Spir. Sanct. *cit. n. 753.* Ex voluntate Testatoris moraliter certo presumpta, quæ fuit, suam velle suffragari animam, quæ per electionem Religionis à legataria factam melius juvatur. Cui accedit praxis. Hinc Diana *part. 5. tract. 14. ref. 35.* nullam sententiam tenendam docet tanquam probabilioris, tam ex Theologis, quam ex Jurisconsultis, ratione, & praxis.

2564. Quia ratione legatum relictum uxori, quando statum vidualem servaverit, eisdem in conscientia debetur, si Religionem ingrediatur, eo maxime, quia vere statum vidualem servare dicitur, Vidal. *cit. n. 25.*

2565. Viri tertii Ordinis S. Francisci collegialiter viventes, & mulieres ejusdem Ordinis etiam non collegialiter, sed in propriis domibus viventes, quæ tamen vitam celibem, aut castam vidualem ducunt, expresse voto castitatis de Ordinarii licentia emisso, consequi possunt legatum pro Monachatu relictum, Diana *part. 2. tract. 2. ref. 84.* contra Franch. del Castillo, & Riccium apud ipsum, qui de mulieribus recentibus oppositum tenent. Ratio est; quia dictæ mulieres æquivalent statum Monachalem servant, quia ratione gaudent immunitate personalis, & privilegio ferri, juxta dicta *nom. 748.* adeoque possunt consequi legatum pro Monachatu relictum. Ita fuisse decernit per Rectores S. Barbare, & Montis Pietatis Paucorum, testatur Diana *cit.* Imo ipse del Castillo refert, in etiam fuisse decernit per Rectorem Orphanorum, & in Curia Panormitana. Non obstat Bartholus in l. unum

modissime, ff. de lib. & postum. quia loquitur de ingressu Monasterii, minime de simpliciter Monachatu.

Non possunt autem dictum legatum consequi mulieres Tertiarie, quæ nec collegialiter vivunt, nec expresse voto, uti supra, castitatem servant. Quia cessat ratio, & finis testatoris, qui est Religio.

2566. Legatum relictum determinatæ femine maritandæ, potest illi conferri, si tempore testamenti, aut post conditum testamentum, ante mortem testatoris, & dum adhuc testator viveret, fuit data in matrimonium; quia tunc legatum videtur factum ob peculiarem affectum ad personam, qui non cessat, postquam est nuptæ tradita. Non potest autem illi conferri, si legatum sit relictum pro maritandis mulieribus incertis, & indeterminatis, Bonac. *to. 2. de contractibus disp. 3. q. 17. pun. 8. §. 4. num. 7.* quia testator non movetur ex affectu ad personam, sed ad miseriam pauperum sublevandam, ut statum maritalem sumant; qui finis cessat, matrimonio ante testatoris mortem inito.

2567. Legatum relictum determinato pauperi, aut determinatæ puella, si sit factum pro anima testatoris, aut pietatis causa, dandum est alteri pauperi, si ille ante collationem sit mortuus; quia durat causa legati, nempe pietas, & suffragium; minime si sit relictum in bonum talis determinatæ personæ; quia causa est effectus, qui cessat. In dubio præsumptio fiat pro causa pietatis; nisi pauper determinatus fuerit confanguineus; quia censetur, quod prævalent affectus sanguinis, Ant. à Spir. S. *cit. n. 750. v. n. 258.*

2568. Si pauper moriatur, executor in mora existente, tenetur executor solvere hereditibus; quia pauper legatarius habet jus ad legatum à morte testatoris, & hæres successit in jure pauperis, Ant. à Spir. S. *cit.*

2569. Ex his sequitur, quod si quis relinquat legatum D. Antonio determinati loci, & ibi non existat, legatum debetur Ecclesie Parochiali testatoris. Quod si duas Parochias habeat, debetur illi, à quo Sacramenta accepit. Si plures sint Ecclesie talis nominis, conferendum est pauperiori, nisi habeat potestatem eligendi, ut in n. 2556.

LEGATUM CESSAT

2570. **P**rimo: Si legatarius præmoriatur legatarius, aut si moriatur post testatoris mortem, debetur hereditibus legatarius, etiam hereditate non adita, ut in n. 2568.

2571. Secundo: Per notabilem ingratitude legatarii post legatum, nisi postea expresse vel tacite se reconciliaverit. Et quan-

vis testator concivis ingratitude habuisset tempus revocandi, imo & fecisset codicillum & non revocaverit, adhuc censetur revocatum, Ant. à Spir. S. *cit. sect. 15. ex Sanchez. v. n. 2545. §. 2567.*

2572. Tertio: Si legaverit rem alienam putans esse suam.

2573. Quarto: Cessat extincta re legata per ipsum legatam. Unde si quis, postquam legavit triticum, quod in horreo habebat, illud consumpsit, ad nil tenetur hæres, Ant. à Spir. S. *cit. sect. 13. n. 753.*

2574. Quinto: Legatum conditionale cessat, si purificetur conditio, antequam firmetur legatum morte testatoris: v. n. 2556.

IUXTA COMPETENS

2575. **I**n legatis piis est Episcopus loci, etiam respectu laicorum, & contra laicos, ex juribus sequentibus. Insuper ipse est legitimus ultimum voluntatum, & primum legatum executor, tam ex jure Civili, quam Canonico, ex c. Nos quidem, cap. si heredes, c. c. tua nobis de testam. & ex Trid. *sess. 22. de ref. c. 8.* Si alius executor non sit à testatore dispositus, vel si sit male dispositus, aut deficiat, Bonac. *to. 2. de contract. disp. 3. q. 17. pun. 8. §. 10.*

2576. Hinc non potest testator prohibere, ne Episcopus curet sua legata impleri; quia licet liberum sit ei legatum condere, non est liberum, Episcopo potestate à jure concessa private.

Eadem ratione, si testator legatum condat sub conditione, quod si Episcopus vel si inesset, sit nullum; Episcopo se ingerente in executione, legatum non cadit, nec transit ad hæres legantis; quia talis conditio, cum sit contra jurâ, habetur pro non apposta, Bonac. *cit. contra Molfesium: v. n. 2548.*

2577. Potest Episcopus hæres negligentem ad solvenda legata pia cogere per censuras præfixo termino bene viso, puta unius anni, aut sex mensium.

2578. Eandem potestatem habet circa legata non pia, si non sit præventus à iudice laico; quia compulsio hæredum, aut executorum circa legata prophana, est mixti fori, Abbas in c. si heredes n. 7. Clericatus. c. 102.

DE COMMUTATIONE LEGATORUM.

2579. **L**egata ad unum usum relicta non possunt dari in alium usum converti absque iusta, ac rationabili causa, ac legitimo Superioris consensu, Bonac. *to. 2. de contr. disp. 3. q. 17. §. 9.* Quia testatoris voluntas est servanda tanquam lex, & ultima voluntas 13. q. 2.

Sum.

2580 Summus Pontifex potest valide (quid sit, an licite) sine causa commutare, etiam in opus minus pium.

2581 In legatis prophanis superior legitimus est Princeps supremus; hic potest ad alium usum prophanum convertere ex iusta causa.

2582 In legatis piis est Summus Pontifex, uti supra: Et Episcopus loci ex iusta causa, aut necessitate, sine gravamine hæresis, & injuria loci pii.

2583 Hinc Episcopus potest commutationem de uno in alium usum concedere. Primo. Quando voluntas testatoris non potest de jure, aut de facto impleri in propria specie. Quia voluntas testatoris nec præsumitur, nec est contra jura; nec est illicitæ executioni danda.

2584 Secundo. Quando voluntas testatoris potest de jure, & de facto impleri, potest Episcopus ex iusta causa, aut ex necessitate commutare.

2585 Iusta causa erit. 1. Si legatum factum ad unum usum, non possit commode adimpleri. 2. Si pecunia ad illum usum legata non sufficiat. 3. Si testator non satis expressit, quomodo sit expendendum legatum, tunc potest Episcopus declarare. 4. Si legatum sine commutatione, aut dispensatione fieret caducum. Et sic, si quis pro anima sua legasset centum Rota, ut monialis fieret, hæc autem nubat, aut moriatur, tunc poterit alteri puella, que monialis fiat, applicari. Dixi pro anima sua; quia si legatum esset Rota relictum inuito, & affectu persone, tunc ea mortua evaderet caducum, & cederet hæredi legantis, ex *num. 2567*. Nam legatum non extenditur de persona ad personam, quoties est electa industria persone, Bonac. *cit.*

2586 Iusta causa erit potior, si ei addatur necessitas. Necessitas erit. 1. Si legatum sit factum ad usum parum utilem, v. gr. ad pinguedinem Ecclesiam, que minatur ruinam, tunc poterit applicari reparationi ejusdem; nam utilis gerit rem Ecclesie, & testatoris, 2. Si sit necessaria expensio in aliud, quod est necessarium ad executionem legati. Hinc si legatum sit pro celebratione Missarum, sed Ecclesia indigeat sacris vestibus, aut earum reparatione; tunc potest legatum ad tempus converti in sacrum velium emptione, aut reparatione. Eadem ratione legatum annuum relictum pro fabrica templi, potest ad tempus expendi pro ornamentis, & aliis divino cultui necessariis.

3. Si commutatio non sit perpetua, sed ad

tempus, potest facilius iusta concurrente causa fieri. Et sic (aut Clericatus, & 102. *num. 13.*) Eminentissimus D. meus Cardinalis Barbaudus Episcopus Paduanus, me proponente, in *Congr. coram Eminentia sua, dispensando concessit, ut legatum annuum relictum pro ornamentis Altaris Desponsæ in Ecclesia Parochiali Baptiste, posset per decem annos expendi pro ornamentis Altaris SS. Sacramenti, attentis quod Altare Desponsæ erat ditissime ornatum: Altare vero SS. Sacramenti erat ornamentis omnino destitutum, & nulla erat facilior via providendi illius nuditati.*

2587 Legatum tamen pro virginibus maritandis non patitur commutationem cum alio opere pio, Ant. à Spir. S. de *testam. tr. 10. disp. 16. sect. 13. n. 752.*

Hæc docent Doctores communiter, maxime

Bonac. *cit. Verricelli tr. 1. q. 17.*

2588 Imo Verricelli *cit. num. 5.* addit, quod possit solus hæres, aut executor, irrequirit Episcopo, legatum in alium usum convertere, aut aliquo modo mutare, si causa à testatore ignorata adit, aut de novo occurrat; quia iudicio prudenti est moraliter certus, quod si testator eam cognovisset, sic legasset, & disposuisset; quia hæc non est proprie commutatio, aut dispensatio, ad quam requiritur Superioris autoritas, aut interpretatio per episcopum, quæ est omnium moderatrix legentis regulas facere potest.

Insuper sicut hæres potest declarare voluntatem defuncti, quando est de ea verisimiliter informatus; ita à fortiori poterit eam declarare, quando naturalis rationis ductu est moraliter certus de eo, quod in tali casu interrogatus responderet, si viveret. Ita Verricelli, qui exemplificat, ut sequitur.

2589 Explico tali exemplo: Testator legavit vit mille, ut construatur Ecclesie sacrum; id deinde ab alio constructum est, sed interea corruit Ecclesie tectum; quis dubitat posse hæredem sine ulla autoritate Episcopi, ex solo consensu rectoris Ecclesie, rehæc tectum? Sic testator legavit mille, ut quinque virgines sine Civitate nuptui dentur, capta Civitate, & in servitutum redactis virginibus ab infidelibus, quis dubitat posse hæredem ea mille ad ipsas redimendas convertere? Neque video, ad hæc necessariam esse Episcopi auctoritatem, sed tantum consensum Rectoris Ecclesie, quando certæ Ecclesie factum est legatum, quando certæ Ecclesie factum est legatum.

2590 Item in *qu. 18.* subdit: Inferretur cuncto ad casum, de quo nuper interrogatus fui: Testator legavit annua centum

cent.

eleemofynam panis pauperibus certi oppidi à quodam Ecclesie Rectore distribuenda, reditus illi diu inerachi, jam simul soluti, ascendunt ad mille aureos. Quæritur, an Rector possit hæc mille convertere in capitale, ut perpetuo major sit panis eleemofynæ? Respondeo affirmative; nam testator supponebat tertias annuatim solvi; aliter enim disposuisset, si cogitasset eas simul aliquando solvendas, atcendere ad summam ducatorum mille; etenim conjectura, & interpretatio voluntatis defuncti deducenda est ex his, quæ testator præsupponit, ut ait Castillus Soto major *quod.*

controver. lib. 5. cap. 83. num. 4. & ex his quæ prudentes homines in simili casu fecissent.

1. quoniam, C. de naturalibus liberis. Præterea quando testator legat, notabilem pecuniam quantitatem ad alimenta pauperum, tunc nisi legat aliter expresse testator declarat, non est ea pecunia simul distribuenda, sed ad honestum lucrum deputanda, ut ex redditibus annua alimenta inde proveniant;

2. eleemofyna enim perpetua utilior est animæ defuncti, ac communitati pauperum, ut in terminis docent Castren. in *leg. Divi. fin. ad l. falcid. ubi Bartol. & Angel. & Imola. Alexander conf. 100. in fine lib. 1. Lupus in cap. per vestras in 3. notab. vers. 7. in servit. num. 1. de donation. inter vivos, & uxorem.*

3. Rota Romana *decis. 742. num. 2. part. 1. in noviss. Surtus de aliment. tit. 4. quest. 9. num. 13. Menoch. lib. 4. presump. 157. num. 33.*

Neque refert, forte ex hoc præjudicari particularibus aliquibus pauperibus; nam testator communitati pauperum ejus oppidi, imo magis animæ suæ prospexit; communitati autem pauperum, & anima testatoris utilior est eleemofyna perpetua; ut in simili loquentes de anticipatione cum præjudicio futurorum pauperum, docent Valq. *opusc. de testamentis cap. 9. §. 3. dub. 1. num. 76. Rodriq. in sum. to. 2. cap. 156. n. 5. Diana part. 8. tract. 5. resol. 51.*

2591 His de rationibus Ant. à Spir. San. de *Testamentis tr. 10. disp. 16. sect. 13. n. 752* ait, legatum distribuendum quotannis Hospitali, aut Monasterio, posse totum simul ei dari, iusta concurrente causa.

2592 Et legatum relictum pro carceratorum liberatione quolibet anno, posse expendi, ne quis in carcerem deturdat, quia certum est, quod est proxime carcerandus.

2593 Et Bolemi. de legatis ait: *Ad Episcopum autem, hæredem, & executores pertinet per episcopum interpretari non esse à defuncti volum.*

Examen Ecclesiæ.

rate alienum si aliqua mutatio fiat, v. g. si pecuniam reliquerit ad calices emendos; pro Ecclesia, que calice non eget, poterunt eam applicare ad casulas, aut alia ornamenta, que magis ad Ecclesie usum conducunt.

Q U E R E S I.

2594 An si pro opere à restatore heredi præfixo, v. g. pro Oratorio construendo, non fuerit requisita tota summa pecunie legata, id quod superest, possit ab ipso herede retineri?

Respondeo posse, si summa pecunie fuit legata demonstrative; non posse, si fuit legata taxative, Bonac. *num. 2. de contractibus disp. 3. quest. 17. §. 9. num. 5.* Tunc dicitur summa pecunie legata taxative, fuit limitativa, quando ex verbis aut circumstantiis dignoscitur, mentem testatoris fuisse, per totam illam summam suam velie exonerare conscientiam, aut suam animam suffragari. Tunc vero dicitur legata demonstrative, quando dignoscitur, mentem testatoris nil aliud esse, nisi demonstrare executionem operis illius, quod præfixit, quod maxime dignoscitur, si prout iudicetur legasse etiam cum affectu ad personam hæredis, in quantum summam excedentem legaverit, volens in tuto se ponere, ne hæredem gravaret in operis adimplentione.

Q U E R E S II.

2595 Petrus reliquit duodecim legata annua unicuique viginti pro duodecim virginibus constituit anno maritandis: rade nata est puella quinquaginta Petri in tertio gradu, pauper, cuius non esset oblata occasio boni iuramenti. & non haberet sufficientem, ne opportunitatem amitteret, unum ex illis legatis novissimum viginti in spe donavit, & hinc fuit matrimonium peractum, An dictum legatum possit ei coferri, cum maritata?

Respondeo posse. Sequitur ex dictis *num. 254. 2557. & 2561.* Ratio est primo, quia legatum habuit effectum à legante intentum, non aliter, quam si prius illud puella consecuta esset; nam ejus virtute, & non aliter, nupit.

Cui accedit praxis, & consuetudo in legatis Confraternitatum, pro maritandis filiabus Confratrum relictis, que ab ipsis jam maritatis obtinere solent, ex eo quia in dotem prius assignaverint, & eorum virtute perferunt.

Secundo, quia dicta puella est consanguinea in tertio gradu legantis, pauper, & inops; unde locum habet moraliter certa interpretatio per episcopum voluntatis ipsius testatoris, quæ si viveret, & puellam suam con-

san-

sanguineam in statu inopia cognosceret, ne dum sic, sed melius & utilius ad ejus favorem disponeret; juxta dicta in n. 2552. 2558. & 2680. Imo eam esse ceteris non sanguineis preferendam, sequitur ex n. 2654.

PRIVILEGIA FRATRUM MINORUM QUOAD LEGATA.

3596 **C**lemens IV. 21. Julii 1245. *Consi. 4. Virtute conspicuus*, §. 21. Eugenius IV. *Licet debuit*, & Sixtus IV. 21. Augusti 1474. *Consi. 6. Regimini*, concesserunt Ordini Minorum,

3597 Ut liceat Fratribus vestri Ordinis, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferant, tam aedificia, seu omnem aedificiorum materiam locorum, que dimittunt, deditis Ecclesiis dumtaxat exceptis, quam libros, calices, & paramenta secum ad alia loca transferre, & aedificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentia, prae-ter Ecclesias, per personas ad hoc à Sede Apostolica deputatas, vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum, ad que dicti Fratres se transferunt, adificationem, seu alias in eorum utilitatem convertere, re, secundum quod ei melius videbitur expedire, cum ipsa propria, & alia loca fratrum ad Nos, & Apostolicam Sedem specialiter, & immediate pertinere noscantur: v. n. 1145.

3598 Sixtus IV. & Leo X. apud Sorbo, *ver. legata*, n. 1. *Et ver. commutare à non. 1. ad 3.* & Verricelli *tr. 1. qu. 17. n. 1.*

3599 Concesserunt, quod Praelati Fratrum Minorum Observantium possint res donatas apud viventes, insuper legata facta locis nostris ad unum usum, commutare in alium, sine scandalo tamen illorum, ad quos solutio legatorum pertinet, aut à quibus res sunt donatae.

3600 Leo X. in *Consi. 6. Merventur*, recenset Bullas Nicolai III. & Clement. VI. & declarat, Fratres Minores de Observantia licite retinere posse domus amplas, & spatiosas, insuper paramenta multiplicia, ac pretiosa: assignans pro ratione, quia sunt in proprietate S. Sedis; & Fratres sunt tantum custodes, & solum usum habent, non fructum, quare in nihilo regulam violant; & decens est, in celebrioribus solemnitatibus decentioribus paramentis divinam honorare Majestatem.

De legatis Fratrum Minorum fuisse actum est à n. 1185.

CODICILLUS

2599 **E**stultima voluntas minus solemnis de eo quod quis post mortem suam fieri velit eorum quinque relictibus declarata.

2600 Potest quis mori cum pluribus codicillis inter se non contrariis, sed non cum pluribus testamentis; quia testamentum posterius ex jure tollit prius.

2601 Religiosus professus non potest revocare testamentum ab ipso ante professionem factum; quia testamentum non potest revocari in totum, nisi per aliud testamentum: nec in partem, nisi per codicillum. Religiosus autem professus nec facere potest testamentum, nec codicillum; quia codicillus est testamentum parvum, qui à testamento differt per hoc, quod non requirit solemnitates, nec testes, sicut testamentum. Tum quia in codicillis nec instituitur, nec tollitur haeres: v. n. 2604.

2602 Ceteri autem possunt testamenta, & codicillos revocare usque ad mortem, quia ex jure voluntas testatoris perambulatoria dicitur usque ad mortem.

SUBSTITUTIO FIDEICOMMISSARIA

2603 **E**st illa, per quam haeres ab instituto, aut testamento constituitur, gravatur restituere hereditatem, vel partem ejus aliquam v. g. dimidiam, tertiam, aut quartam partem alteri.

Ille, cui est facta substitutio, dicitur fideicommissarius. Dicitur substitutio fideicommissaria, seu fideicommissum, quia testator fidei haeredi, & ejus fidei committit hereditatem alteri restituendam.

Hae substitutio non est directa, sed obliqua, in quantum fideicommissarius non capit bona hereditaria directe à testatore, sed ministerio haeredis primo instituti, & gravati.

Non solum primus haeres potest gravari, ut hereditatem, aut ejus partem fideicommissario restituat; sed etiam ipse fideicommissarius potest gravari, ut alteri fideicommissario restituat: in quo casu actiones utiles transferuntur in hunc posteriorem fideicommissarium: v. n. 2539.

2604 Licet per codicillum non possit institui directe haeres, potest institui fideicommissarius; quia potest haeres directo jam instituto imponi onus restituendi alteri hereditatem, vel ejus partem.

2605 Fideicommissum non potest fieri; nisi de bonis liberis: minime de bonis alienis, aut alteri obligatis. Hac Bonac. *rom. 2. de contrahibus* *diff. 3. qu. 17. punct. 4.* Ubi plura.

De

De testamento & legatis fuisse agunt Martini *disp. 4. qu. 2. art. 3. le Crux. 7. praecipit. pag. 132.* Duran. *p. 8. tr. 5. p. 10. tr. 15. ref. 11. p. 5. tr. 2. ref. 10. p. 3. tr. 5. ref. 60.* & alibi. Tamb. *tom. 2. de Bulla Cruc. c. 18. §. 2. Bonac. rom. 2. de contrah. diff. 2. qu. 17. 18. & 19. Ant. à Spirit. Sancti. tr. 10. disp. 16. Verricelli. cit. Bulemb. lib. 3. tr. 5. cap. 4. Clericus c. 102. Mendo sub propriis titulis.*

SPONSIO

2606 **E**st contractus, in quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit. Sponsio vulgo dicitur *Scammessa*.

Ut licite fiat, quatuor condiciones requiritur. 1. Ut fiat super re dubia. 2. Ut sit aequalitas in re, quae spondetur, cum aequali incerti tudine. 3. Dubius eventus in utroque. 4. Ut uterque eodem sensu accipiat id, de quo certatur.

LUDUS

2607 **E**st contractus, de quo licentes res suas periculo exponunt, propter spem acquirenda rem alterius: Est triplex, fortuitus, ingentiosus, & mixtus. Ludus mere fortuitus est prohibitus, sine ludis alearum, qui magis in fortuna, & casu, quam in industria est fundatus; est prohibitus laicis sub veniali, Clericis sub mortali; si tamen frequenter, & per longum tempus ludant; secus, si per breve tempus, recreationis causa, & absque scandalum: Fenesh. *de ludo n. 15. ait, legem Canonicae, quoad culpam, videtur per desuetudinem abrogatam, si non avaritia, sed vere recreatio sit causa laudatur ad aleam, Et sine scandalo.* Ita *Scotus in 4. d. 15. qu. 2. lit. T.*

2608 Condiciones ludi, ut sit licitus, sunt quatuor. 1. Ut ludens non utatur dolo, & fraude. 2. Ne alter alterum compellat ad ludum per vim, aut verbis contumeliosis. 3. Ut ludens disponere possit de re, quam ludo exponit. 4. Ut sit aequalis conditio colludentium. 2609 Teneret restituere, qui vicit faciendo contra condiciones ludi, ut esset, qui simularet se plane ignorare lusum, & sic alterum multo impetritorem provocaret, qui abunde ludere nolisset; hic enim dolo, & fraude ageret. 2610 Non teneret restituere, qui utitur astutia illius, quas regulae lusum, & consuetudo recepta patitur, cum uterque sciat tales attitias esse solitas, & sic tacite in illas libere consentiat, v. g. 2. Si portores chartas habens, & securus de victoria, augeat sponsonem, vel simulet metum, ut adversarius augeat. 3. Si

sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, augeat sponsonem, ut sic relinquatur sibi, quod erat appositum. 3. Si incipiat chartas alterius ex sola illius negligentia, & absque fraude; secus, si ita se colloct, ut possit videre, vel si alium constituat, à quo admonetur. 4. Si chartas deficiat noise inter habendum, quas ante non signaverat, nec noverat; secus, si ante eas signaverat, vel noverat, ignorante socio.

2611 Religiosus potest aliquid moderatum ludo alienare, sicut potest aliquid moderatum de superioris licentia donare. Uxor potest aliquid ludo exponere juxta sui status conditionem. Similiter filius, quia censetur patrem velle ei honestam recreationem concedere. Item potest filius ludo exponere bona castrensis, vel quasi: minime professitia, & adventitia, sine conditio patris: v. *tom. 2. num. 168.* Et uxor exponere potest bona paraphernalia: v. *tom. 2. num. 169.* Denique servus potest ludo exponere pecuniam propria industria acquisitam, vel à domino acceptam cum permissione, ut pro suo libito expendat; vel si de pecunia ob alimenta tradita, servus parce vivendo, aliquid libi referret: v. *num. 2625.*

2612 Qui ludit cum iis, qui alienare non possunt, iam relatis, peccat, & vincens restituit tenetur totum illud plus, quod illi alienare non possunt, quia acceptantur rem alienam à invito domino. In ludo autem familiaris pater non solet esse invitus, nisi quoad modum, nisi jaectura sit cum nimio excessu.

E converso qui alienare non possunt, si vincant, restituere tenentur illud plus, quantum alienare non poterant, quia non servatur aequalitas colludentium, dum vincere voluerunt, & perdere non poterunt; excipitur, si collusor sciat illum alienare non posse, tunc vincens non tenetur restituere, quia scienti & consentienti nulla fit iniuria.

2613 Qui ludo lege humana prohibito perdit, non tenetur in conscientia solvere, nisi se soluturum jura verit, si vero vicierit, non tenetur restituere ante sententiam Judicis.

2614 Ludere pro Psalmo, vel Oratore dominica recitanda, non est peccatum, nec irreverentia: v. *num. 2400.* Scotus *cit. Magistrus in Theol. mor. disp. 9. n. 76.* Bonac. *rom. 2. pag. 509.* Tamb. *tom. 1. lib. 8. tr. 2. c. 9. §. 1. Joan. à Crux pag. 129.* Bulemb. *lib. 3. tr. 5. c. 3. d. 13.* Clericus *c. 101.*

S e CA

CAPUT III.
DE FURTO.

2615 **F**urtum est ablatio, seu detentio occulta rei alienae invito rationabiliter domino. Rapina est occupatio rei alienae cum violentia. Unde supra malitiam iniustitiae furti addit injuriam violentiae.

2616 **Plagium est furtum hominis liberi scienter venditi, vel empti.** Plagium, & rapina adstant malitiam speciei distinctam, in confessione explicandam: v. n. 288.

2617 Furtum quantitatis notabilem est mortale, parva veniale. Et quia malitia furti consistit in detrimento, quod proximo inferitur, quantitas ad mortale sufficiens haud melius desumitur, quam per respectum ad personam quae damnificatur. Hinc.

QUANTITAS INTER EXTEROS

2618 **E**t gravis ad mortale sufficiens. 1. Si a paupere fureris duos julios, seu duos tarenos Siculos cum dimidio: inter pauperes veniunt artifices illi, qui vivunt ex labore diei, & tantum uno die lucrantur, quantum ad unius diei victum sufficit. 2. Si a valde divite fureris unum scutum. 3. Si a persona media, seu communi, fureris quatuor julios, seu quinque tarenos Siculos: inter personas medias, seu communes, veniunt personae illae, quae non sunt pauperes, nec valde divites sed commode, quaeque plus uno die lucrari solent, quam ad unius diei victum sufficit. A praefatis tribus generibus personarum minus auctere est veniale. Auctere ad Principe ditissimo duos aureos non est mortale; mortale tamen est auctere ad mendico unum julium, seu tarenum Siculum. Similiter mortale est cum auctere a Sutore, qui alium non habens omniter operam illius diei: nam inferit notabile damnum.

2619 Aureus nummus, seu scutum aureum licet crescere, & decrescere solet; regulariter tamen importat tresdecim julios cum dimidio, seu tarenos decem & septem cum dimidio.

PLURA MINUTA FURTA

2620 **C**ommittens, furando per plures vice modica, sive ab eodem five a multis, deveniendo ad quantitatem notabilem, peccat mortaliter, etiam si in prioribus furtis non habuerit animum deveniendi ad quantitatem notabilem; & tenetur sub mortali ad restitutionem, non totius quantitatis ablatae,

sed illius, quae complevit quantitatem notabilem; reliqua vero, quae remanet, cum remanet materia levis, sicut antea, remanet sub onere restitutionis, solum sub veniali, sicut antea. Et licet furans modica a multis, etiam deveniendo ad quantitatem totalem notabilem, inferat leve damnum singulis, inferat grave damnum communitati, quae sicut & ipsi domini sunt rationabiliter graviter inviti, nolentes, quod multi ditentur hoc modo furandi modica singulis, eo maxime, quia id est contra publicam, & singulorum civium securitatem, ac indemnitatem, quoniam, hac data libertate, possent venditores in mercibus vendendis quid parvum surripere a singulis.

2621 Major tamen quantitas requiritur ad mortale, quam quae per repetitas vice, semper modica furatur ab eodem, quia ille minus detrimentum patitur, & est minus invitus, quam furando simul; nonnulli tenent, quantitatem esse debere dimidio majorem. Et major requiritur, quando quis furatur a multis, modica a singulis; unde Thom. Sanchez, & Rebell. dicunt, non peccare mortaliter eum qui in Civitate populosa furatur modica a multis, si non deveniat ad quantitatem unius auri.

2622 Item ad peccatum mortale in repetitis furtulis requiritur, quod sit continuatio moralis temporis; scilicet si intercedat magnum temporis intervallum. Magnum temporis intervallum, & interruptio moralis, ab aliquibus (apud Tamb.) reputatur, si inter unum, & alterum furtulum intercedat annus; ab aliis, si sex menses; ab aliis, si unus ab aliiis, si quindecim dies; sed recte Tamb. advertit, in taxanda quantitate, & temporis intervallum, in his & similibus casibus, meliorem regulam delendum esse a prudentia, considerando damnum proximi, aut communitatis, ejusque involuntarium.

2623 Casus, in quo plures furantur singuli modica, sed simul ab eodem, v. gr. unum unum racemus ex eadem vinea, solutus est in tom. 2. n. 15.

2624 Dices: Onus restitutionis est destricto, ut in casu iniustae acceptionis, non obligat sub mortali, nisi addit culpa mortalis; sed in damno illato per plura furtula non adest culpa mortalis, bene vero venialis: ergo non oritur ex illo onus obligans ad restitutionem sub mortali. Minor probatur, quia, in singulis furtulis latrunculus iste non peccavit nisi venialiter, infinita autem venialia non possunt integrare, aut conficere unum mortale.

Resp. Concessa majori, negando minorem: pro cuius claritate est distinguendus casus; vel ille latrunculus in ultimo furtulo consti-

tente cum prioribus quantitate notabilem, advertit ad praecedentia furtula, vel non? si advertit, peccavit mortaliter in ultimo furtulo, quod licet infit sit quid modicum, relate ad praecedentia, cum quibus mortaliter continuatur, constituit damnum notabile, & est mortale.

Si tunc non advertit, sed advertit postea, subdistinguo: vel quando advertit, habuit animum non restituendi, & tunc incipit peccare mortaliter, ut iniustus detentor quantitatis notabilis; vel habuit animum restituendi, & tunc licet non peccaverit mortaliter, tenetur sub mortali ad restituendum ad praevendam culpam mortalem, quam incurreret si restituere nollet, & hoc pacto onus restitutionis in casu oritur ex culpa mortali; nec sequitur, quod plura venialia integrent unum mortale, quia peccatum mortale committitur vel in ultimo furtulo, vel in voluntaria detentione totius summae notabilis: furtula enim sunt actiones talis naturae, ut possint inter se continuari mortaliter ad constituendum unum damnum notabile: v. in pag. 5. prop. 38. ab Innoc. XI. damn.

QUANTITAS FURTI INTER DOMESTICOS.

2625 **Q**uantitas turri filiorum, & uxoris ad mortale sufficiens, debet esse major, & talis erit, si quantitas sit numer. 2627. assignata pro exteris dupliciter. Sed in hac re aptior regula est prudentia. Item in furtis filiorum, & domesticorum, debet attendi an pater, maritus, dominus sit liberalis, dives, amans, si furtum sit de esculentis, non de pecunia, & si de pecunia, non frequenter, sed raro; tunc enim solet esse minus invitus; & saepe filius in furto notabili pecuniae a peccato mortali excusatur, quia prudenter dignoscit, attentis conditione, & amore patris, patrem non esse invitum quoad substantiam furti, sed quoad modum, quatenus clam rapuerit, ad vana exierit, &c.

2626 Hac ratione famuli saepe a mortali excusantur in furto comestibilium, quae domo non exportant, necque dividendum, sed ipsi domini consumunt, nisi sit cum excessu. Similiter (ait Less.) *Furta minima famulorum ex comestibilibus, quae claudi non solent, non coallescere non ad vendendum, sed ad comedendum accipiunt, domini namque regulariter sciunt, & dissimulant.* Confessarii tamen in hac re nec debent esse laxi, nec famulorum libertas in excessum prorumpat, nec tam asperi; sed uti debent prudentia, famulos a similibus distinguendo, & optime faciunt, si injungant, ut in compensationem, majorem famulatum

Examen Ecclesiast.

dominis praestent, quando furta non sunt nisi damnosa dominis, & famuli fine magna difficultate restituere non valent.

2627 Uxor sine consensu viri potest moderatas elemosinas facere, & moderatas donationes, seu largitiones liberales ad conservandam decentiam sui status, iuxta morem aliam mulierum similis conditionis; nec officii, si vir prohibeat, quia est irrationabiliter invitus. Tamb. cum aliis concedit uxori, cuius vir est medicus paritroni, ut insulmre possit duo pro centum pro elemosinis, & alia duo pro liberalibus largitionibus, imo plus, si vir sit ditissimus: semper tamen potior est regula prudentiae.

2628 Filius, si notabilem summam de bonis parentum surripit, illis rationabiliter invitus, peccat mortaliter, & restituere tenetur; quod si non possit, debet eorum rationem habere in divisione hereditatis cum aliis fratribus, nisi alii fratres pariter simile quod rapuerint.

2629 Et licet peccat mortaliter uxor surripiendo notabilem summam invito rationabiliter marito de bonis mariti, aut quorum est usufructuarius, & administrator, atque ad restitutionem tenetur; ita & maritus, si pariter surripit de bonis paraphernalibus uxoris: v. tom. 2. n. 160.

2630 *Non peccat uxor subducendo aliqua, vel compensationis causa, si vir sit prodigus, quia in tunc facit uxori injuriam, partem ipsius profundendo, vel pro vitio, vestitio, castitatis, sibi, vel familiae necessitatis, quae marito saepe non intelligunt, & sustinet ab illis peccentur.* Busemb.

2631 *Sino furti crimine potest uxor successore necessitati sui patris, aut mariti, aut proli ex alio matrimonio, etiam volente marito, ex bonis propriis, aut communitatis, dimmodo post mortem viri, ea, quae largitur, in sua portione computet; quia ista sunt naturae tenentur eis altere, & maritus debet in hoc consentire, quod aliquid ad uxorem, fratres, & sorores probabiliter extendant.* Busemb. & Ardekin.

2632 De quantitate furti Religiosorum sufficiente ad mortale, communter Doctores discurrunt, sicut de quantitate furti filiorum: v. num. 605. Attendi etiam debet Monasterii opulentia. Fagundes cum Nav. ait, non peccare mortaliter Religiosum, si de bonis Monasterii dimidium scuti furetur, & extra donet.

2633 Id mihi verum est, majorem quantitatem requirit, ut peccet mortaliter contra paupertatem malitia proprietarii, quam ut peccet mortaliter contra iustitiam malitia furti; quia malitia furti concernit dominum